



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim  
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus  
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati  
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

**Herbipoli, 1701**

Sæculum Decimum Quintum, Contigens res in Ecclesia memorabiles, quæ  
contigerunt ab anno Christi 1400. ad annum 1500.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64765](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64765)





SÆCULUM  
DECIMUM  
QUINTUM,

Continens res in Ecclesia  
memorabiles, quæ contigerunt  
ab anno Christi 1400. ad  
annum 1500.

DECAS I.

✿ *Ab anno Christi 1400. ad 1410.* ✿

1401. **R**ecrudescente bello inter Anglos  
& Scotos, hi in Angliam irru-  
pentes prælio ab Henrico Angliæ Rege  
vincuntur, quo flos Scoticæ nobilitatis  
periit. David etiam Regis Scotiæ filius  
natu maximus, quòd libidinosis viveret  
in carcerem conjicitur & fame necatur.

Sigismundus Rex Hungariæ, cùm quor-  
dam Barones qui eum post cladem Neapo-  
litanam malè exceperant, securi percussis-  
set,



set, ab aliquot conjuratis captus in carcerem conjicitur, creditâ ejus custodiâ quibusdam nobilibus, quorum patrem cum reliquis occiderat, sed eorundem matris operâ elapsus in Bohemiam fugit, indeque cum exercitu rediens regnum Hungariæ recuperat, pulso Ladislao Neapolitano, qui Jaderam, quam suam jam fecerat, Venetis vendit, ac Neapolim redit.

Emmanuel Imperator Græcorum ex Occidente Constantinopolim revertitur, & derelictus ab Occidentalibus ( qui tum victo Bajazethe Syriam recuperare facile potuissent, nisi schismate divisi fuissent ) à Machomete ( Præcipuus is erat inter 14. filios Bajazethis victi, qui & cæteris multis præliis prævaluit ) pacisci coactus est & ex victoria Tamerlanis ac strage Turcarum hoc tantum obtinuit, ut Imperio non privaretur.

✽ ( 1402. ) ✽ Circa hoc tempus Tamerlanes Smyrnam penitus delevit: in Sebastia quoque horrendum sæviit, in qua duodecim hominum miriadas interemit, pueris ac mulieribus ungulis equorum conculcatis: quo spectaculo Tamerlanes oblectari solebat. Quia verò Rex Indorum fines ejus depopulari cœpit, ad sua rediit, eundemque Regem victum ad pacem

Q 4

admisit,



admisit, ac Saramacandam, olim Marcan-  
dam dictam, Imperii sui sedem, variarum  
devictarum gentium spoliis exornavit.  
Quid exinde præstiterit, latet: certum est  
filios ejus à paterna virtute defecisse, nec  
hæreditatem à Patre relictam satis fortiter  
& sapienter conservasse.

✱(1403.)✱ Hospitalarii Rhodi equi-  
tes Sultanum Ægypti Saladinum in tan-  
tum vexant, ut turpem & sibi ignominio-  
sam pacem cum illis inire compulsus sit.

Mulier quædam aquatica sive Siren hoc  
anno ad Edanum fluvium Hollandiæ capta  
est, quæ veste venustè induta ducta est Har-  
lamum, nere etiam didicit, pane & lacte  
victitans, semper muta, & Crucifixum ad-  
dorans, ideoque post mortem ritu Chri-  
stiano sepulta, habita tum grande mira-  
culum sine omni periculo fictionis, & res  
probata testibus omni exceptione majoribus.

Benedictus XIII. operâ Francorum &  
Arragoniorum fugit ex Palatio suo Aven-  
nionensi ei que Cardinales sui iterum ad-  
hærent, qui nonnihil ab eo defecerant. Et  
Franci obedientiam iterum præstant, &  
Gerson vir tunc temporis eruditissimus  
Massiliam ad eum mittitur in causa schis-  
matis acturus. Benedictus autem fero-  
ciorum



ciorem se Francis exhibet, dum confirmationem electionum tempore subtracti obsequii, eis denegat.

✠ (1404.) ✠ Bonifacius Papa IX. meritorum, ad quem Benedictus Anti-Papa miserat legatos, de pace facienda, verum illius morte interveniente res non est effectum suum sortita: quare Romæ substituitur loco defuncti Papæ Cosmas Melioratus Sulmonensis qui coronatus est 2. Novembris & nominari voluit Innocentius VII.

Moritur hoc eodem anno Philippus Burgundus dictus *intrepidus* in stabulo seu Tabernâ diverforia Hallis in oppido Hannoniæ septuagenarius & tam pauper, ut uxor ejus margaritha bonis ejus mobilibus ex juris formula nuncium remiserit, impositis sepulchro viri sui zona, crumenâ & clavibus. Successit ei Joannes Philippus cognomento *Audax*: at filia Margarita nupsit Ludovico Delphino Duci Aquitaniæ Caroli VI. primogenito, impubes impuberi.

Angliæ Regem Ecclesias spoliare cogitantem Thomas Arundelius Archi-Episcopus Cantuariensis constanter & fortiter inhibet.

Turbatur Roma sub initium Pontificatus

Qs

tus



tus Innocentii, Ladislao Rege Siciliae cum exercitu accedente : tunc Viri VII. electi qui urbem administrarent, iique omnes Gibellini, Quelpis utcumque se se tuebant, cum utraque factio potentes familias sibi addictas numeraret. Atque se discordiâ tempore Bonifacii fugatâ, rediit in urbem eo demortuo.

✱(1405.)✱ Innocentius Papa Romanam relinquere cogitur atque Viterbium se recipere propter exortos tumultus, cum nepos ejus seditiosos undecim captos necasset. Vocatus à nonnullis Ladislaus cum copiis, à Romanis pro libertate mori paratis rejectus est, & reipublicæ status mutatus, ac Triumviris, quos *Bonos Viros* vocabant, commissus. Appellit quoque Benedictus Genuam vocatus à Busficardo & Archi-Episcopo Pileo Marino viro sanctissimo : Ubiq̃ue magnificè exceptus, copie tamen, cum quibus venerat, exclusæ sunt: quæsti concordie modi à Cardinalibus utriusq̃ue partis irriti, tamen conatu, utroq̃ue Pontifice adversario suo cedere nolente.

Francia & Anglia laborant graviter tam externis, quam domesticis diffidiis. Henricus Rex Angliæ Richardum Scropum, Archi-Episcopum Eboracensem



sem & Thomam Mombraium Marechal-  
lum a Comite Westmerlandiæ conspira-  
tionis accusatos, ad ignominiosum sup-  
plicium rapi jubet: dicitur hic Præsul post  
mortem claruisse miraculis, & Thomæ ca-  
put diu expositum nunquam computruisse.  
Innocentius auctores necis Scropianæ per-  
culit anathemate, & Henrico sagum mili-  
tare Præsulis mittenti cum his verbis: *Ag-  
nosce an sit tunica filii tui, an non?* scitè re-  
spondit: *Fera devoravit filium.* Quibus  
verbis Scropum Innocentem, & percussio-  
rem ejus tyrannum indicavit.

Ordo Canonorum Sæcularium Vene-  
tiis à B. Laurentio Justiniano instituitur.

✽(1406.)✽ Innocentius VII. revoca-  
tur in urbem & tanquam legitimus Domi-  
nus magno gaudio recipitur, qui statim in  
Ladislauum etiamnum Hadriani molem oc-  
cupantem anathema emisit, Ladislaus au-  
tem mox Pontifici se submitit, & pacem  
composuit: quâ diù frui non potuit In-  
nocentius septuagenarius paulò post apo-  
plexia mortuus. Cui Cardinales Romani  
Angelum Corarium virum doctum & exi-  
miæ pietatis suffecerunt & eâ cautione  
præstitâ coronârunt, ut Benedicto compe-  
titore dignitatem deponente, ille quoque  
abdicaret. Dictusque est Gregorius XII.

Q 6

Mori-



Moritur Robertus Rex Scotiæ ex ma-  
rore capti alterius sui filii Jacobi, ab An-  
glis, pro constituto in captivitate (quæ  
tamen plus illi ad regios mores & pietate-  
tem profuit quam libertas) per annos ve-  
ginti duos, regnum administravit Robe-  
tus patruus Jacobi.

Obiit etiam Henricus Castellæ Rex, suc-  
cedente filio Joanne 22. mensium puero.

\*(1407.)\* Agitur magnis viribus de  
concordia inter Benedictum & Gregorium  
XII. operâ Cardinalium utriusque partis  
& Regis Francorum selectâ urbe Saonâ, ad  
conventum, sed res tota iterum abiit in-  
ventos, propter tergiversationem Grego-  
rii sibi à Ladislao, & urbe Francis addita  
metuentis, Benedicto in speciem ad id pa-  
rato: qui etiam plenis deinde buccis in-  
crepuit concordiam à se quæsitam sed à  
Gregorio impeditam & repudiatam.

Ludovicus Dux Aurelianensis frater  
Caroli VI. Regis Galliarum jussu Joannis  
Burgundiæ Ducis per sicarios infidioses  
cæditur, qui Ludovicum regis nomine ab  
uno è cubiculariis regis consilii hujus con-  
scio evocatum cum pergeret ad Palatium  
mulo insidens, & famulo præferente fa-  
cem invaserunt, & præscissâ dextrâ effuso-  
que cerebro multis ictibus trucidarunt.

Joan-



Joannes autem necis auctor interrogatus de crimine mox equis conscensis in Burgundiam suam auf fugit.

\*(1408.)\* Gregorius XII. novos Cardinales creat.

Absente Pontifice Viterbii Ladislaus Rex Neapolitanus Romam recuperare tentat, sed à Paulo Ursino Pontificis Duce repellitur, & Neapolim cum exercitu redire cogitur.

Pontifici utrique à Gallis obedientia subtrahitur. Igitur Benedictus vir præferendis ingenii in Regem Francosque furit literis, quæ publicè tortoris manu crematæ sunt, & duo ejus fautores ignominiosè tractati, ut in dedecus Pseudo-Pontificis ignominia redundaret, & Bufficaldo mandatura, ut huic manus injiceret, & captivum teneret, quod Benedictus subodoratus, fugit è Portu Veneris in portum Illiberitanum ad radices montis Pyrenæi ut saltem esset Pontifex in sua patria Catalaunia, qui orbis terrarum Pontifex esse non poterat.

Benedicto Perpiniæ, & Gregorio Aquileiæ concilium indicentibus, Cardinales indicant Pisis Concilium generale, & utrumque Pontificem illum evocant, dum Gregorius Senis precario moraretur. Concilium suum Benedictus celebravit Perpiniæ



niani cuius hæc summa fuit, præter omnia  
um spem, ut Benedictus rogatus cedere  
Pontificatu.

Joannes Hus vir ingenio peracri, & lo-  
quax eloquens ab Academia Pragen-  
si damnatur, maxime adnitentibus Teuton-  
icis, quos tamen Joannes callidè depressit.  
effecit enim, ut pars Bohemica cæteris si-  
mul junctis æquipararetur, sic jubente sto-  
lido Wenceslao, quò hæc vergerent nihil  
curante. Quare Pragensis Academia à  
Teutonicis deserta, Lipsiensis instituta,  
aucta Erfordiensis, simul Teutonicis & Bo-  
hemis plaudentibus, hi quòd soli in patria  
suâ regnarent, inter cæcos luscii & illi se ab  
impiis separatos Germaniæ Catholicæ gra-  
tulantur. Itaque Joannes Hus non jam  
occultè ut antea sed publicè virus evomit,  
adscitis sibi sociis & fautoribus Hieronymo  
Pragensi artium magistro & Jacobetto Mi-  
seni ex urbe Misâ Bohemiæ. Quibus sta-  
tim se opposuit Stinco seu Subinco cog-  
nomine Lepus Archi-Episcopus Pragensis,  
qui Wicleffitarum supra ducenta volumina  
pulcherrimè descripta & deaurata comburi  
jussit, quam ob causam Joannes impo-  
tentissimè ex pago Husso oblatravit. Quem  
Deum minùs quàm hominem reformidantem,  
Rex Wenceslaus edicto tantisper  
compescuit.

HÆRE.



**HÆRESIS JOANNIS HUSS, DUCIS  
HUSSITARUM.**

1. **D**ocuit Ecclesiam esse Universitatem prædestinatorum.
2. S. Paulum nunquam fuisse membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus atlibus Ecclesie malignantium consimiles.
3. Præscitos non esse partes Ecclesie.
4. Duas naturas humanitatem & Divinitatem esse unum Christum, quæ propositio nimis cruda parùm est consentanea unioni personali, quæ non proprie fit sine ullâ mixtione, aut confusione Divinitatis cum humanitate.
5. Præscitum, etsi aliquando sit in gratiâ secundum præsentem justitiam, nunquam tamen partem esse Ecclesie, contra verò prædestinatum semper manere membrum Ecclesie, licet aliquando excidat à gratiâ præsentem.
6. Sumendo Ecclesiam pro communione prædestinatorum, Ecclesiam esse articulum fidei.
7. S. Petrum nec fuisse, nec esse caput Ecclesie Catholice.
8. Sacerdotes criminosè viventes polluere Sacerdotii potestatem, & sic ut filios infideles sentire infideliter de septem Sacramentis, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesie, veneratione reliquiarum indulgentiis & Ordinibus.
9. Papalem dignitatem à Cæsare inolevisse,  
& Papæ



¶ Papa perfectionem & institutionem à Cæsare  
potentiâ emanâsse.

10. Nullum sine revelatione rationalitatis  
asserere posse de se vel de alio, quòd sit caput Ec-  
clesiæ particularis, nec Romanum Pontificem  
esse caput Ecclesiæ Romanæ particularis.

11. Non esse credendum, quòd Romanus Pon-  
tifex sit caput Ecclesiæ, nisi Deus eum prædes-  
tinauerit.

12. Neminem gerere vicem Christi vel Petri,  
nisi Christum sequatur in moribus.

13. Papam non esse verum successorem Petri,  
si vivat moribus Petro contrariis.

14. Doctores ponentes aliquem per censuram  
Ecclesiasticam emendandum, si corrigi noluerit,  
seculari iudicio tradendum esse, pro certo sequi  
in hoc Pontifices Synagogæ Judaicæ Scribas &  
Phariseos, & esse homicidas deteriores Pilato.

15. Obedientiam Ecclesiasticam esse obedi-  
entiam secundum ad inventionem Sacerdotum Ec-  
clesiæ præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16. Humana opera immediate dividi in stu-  
diosam & vitiosam, adeò ut peccatum mortiferum  
hominis vitiosi omnes illius actus universè infi-  
ciet, & è contrario virtus studiosi omnes ejus  
actus universè vivificet.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum  
legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, &  
affectum ad edificandum populum, debere præ-  
dicare,



dicare, non obstante Papæ, vel alterius Prælati prohibitionem aut excommunicationem.

18. Quemlibet ad Sacerdotium accedentem, prædicantis officium de mandato accipere, & mandatum illud debere exequi, non obstante excommunicatione.

19. Clerum per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad suam exaltationem populum laicum sibi suppeditare, avaritiam multiplicare, malitiam protegere, & viam præparare Antichristo.

20. Papam, si malus est, & præsertim si est præscitus, esse diabolum, furem, & filium perditionis, & nequidem membrum, multò minùs caput esse Ecclesiæ.

21. Gratiam prædestinationis esse vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papam & Prælatum malum & præscitum esse equivocè pastorem, & verè furem ac latronem.

23. Papam etiam secundùm officium non debere dici sanctissimum.

24. Papam, si vitam agat Christo contrariam, licet electione Divinâ & humanâ promotus esset, aliunde tamen, quàm per Christum, ascendere in ovile ovium.

25. Condemnationem articulorum Joannis Wicleffi, esse à ratione alienam, iniquam & male factam.

26. Non



26. Non eò ipso esse personam legitimè etiam, vel verum, aut manifestum successorem aut Vicarium Petri Apostoli in officio Ecclesiastico, quòd electores, vel major pars eorum consenserit, vivâ voce secundum ritus hominum personam aliquam, verum operibus electi creditum esse, eoque ipso, quò quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesie, habere à Deo copiosius potestatem.

27. Non esse scintillam apparentie, quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regere Ecclesiam, quòd semper cum ipsâ militante conservetur & conservetur.

28. Christum sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem orbem terrarum melius suam Ecclesiam regulaturum esse.

29. Apostolos & fideles Sacerdotes Dominum strenuè in necessariis ad salutem Ecclesiam regulasse, antequam officium Papæ fuerit introductum, sicque facturum deficiente Papâ.

30. Nullum esse Dominum civilem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali.

Hi sunt articuli triginta Joannis Hus ad verbum descripti in Concilio Constantiensi: ejusdem veneni cum Wicleffi & Waldensium fatidis apostematis



DE PETRO DRESENSI, alias TRA-  
CENSI ET JACOBELLO.

Circa eadem tempora Petrus Dresensis Germa-  
nus, exul à patriâ, quia phreneticum Wan-  
dolorum humorem imbiberat, Pragam confugit,  
ubi apertis scholis traxit ad se ejusdem secum pa-  
triae quendam nomine Jacobellum, qui sibi mu-  
nus concionatoris assumpserat; hi fœdere juncti  
communi consensu in seminandis zizaniis suis  
operam impenderunt, id imprimis inculcando,  
necessariam laicis esse subuti, &que specie commu-  
nionem.

\*(1409.)\* Celebratur Concilium Pi-  
lanum in causâ schismatis, cui Patriarchæ  
tres, Archi-Episcopi 180, Episcopi & Ab-  
bates 390, Doctores 282. interfuere, &  
in eo depositi Benedictus & Gregorius,  
datâ Cardinalibus facultate creandi no-  
vum Pontificem, à quibus proinde ele-  
ctus est Petrus Philarchus Bononiensis, in  
Creta Insula enutritus, Minorita Cardi-  
nalis, dictus Alexander V. Quibus auditis  
Gregorius & Benedictus fugerunt, ille Ari-  
minum, & iste Barcinonem. Gregorius in  
fuga dissimulato habitu in equo cum solis  
duobus peditibus se proripuit, ejus autem  
Confessarius in veste Pontificia & appara-  
tu subsequens, captus & malè habitus est:  
Vir erat Gregorius, in quo ad Pontificiam  
digni-



dignitatem nihil desiderabatur, quam nimiam retinendæ Sedis cupiditatem in temporibus non accendisset nimio in promovendis affinibus studio, virtutis Pontificiæ certo & vulgari naufragio, exinde palam fiebat, corruptum eum, & alium se ipso nunc esse, quam ab initio Pontificatûs sui videbatur.

✠(1410.)✠ Alexander V. in fine Pontificatûs duodevigesimo Bononiæ moritur, cui à Cardinalibus sufficitur Balthasar Cossa seu Coxa Neapolitanus, dicitur Joannes XXIII. tantò Pontificatûs honore indignior, quantò appetentior, belli quam pacis artibus melior, qui vi potius & nummis, in pauperes Cardinales effusus, & Ludovici cum classe vicini, eumque exoptantis metu, quam ex meritis suis creatus est.

Rupertus Romanorum Rex à Florentinis pellectus in Italiam, adversus Galeatum Mediolanensem Regulum rem gessit infeliciter. Inde in Germaniam redux inopinâ morte Oppenheimii defungitur anno ætatis 58. Imperii decimo, sepultus Heidelbergæ in æde S. Spiritûs à se extructâ.


Post Rupertum Electores in Comitibus Augustalibus elegerunt Sigismundum Caroli IV. filium, primùm Hungariæ, post etiam, defuncto Wenceslao, Bohemiæ Regem.



Regem. Cùm ei à reliquis ob dignitatem regiam deferretur prærogativa suffragii, dicitur, se ipsum elegisse, *Me*, inquit, *non novi, alios non item, cùm nesciam, an quispianam alius æquè sit idoneus capessendo orbis Imperio, in tantâ præsertim rei Christianæ ob pluralitatem Pontificum confusione, me ipsum igitur nomino.* Cordatum Regis candorem mirati cæteri Proceres, votum ejus unanimi consensu approbârunt. Neque tamen coronatus est, nisi post annos quatuor, quia Wenceslaum sibi nonnihil adversantem expertus est, in hoc tantùm fortem, ut fratrem propter bonum Ecclesiæ dignitatem hanc acceptantem turbaret.

Poloni sub Uladislao Jagellone Rege in duobus magnis præliis ingentem de Prussis & equitibus Cruciferis victoriam reportant.

In Angliâ Joannis Hus scripta tanquam hæretica publicè per carnificem comburantur.



## DE CAS II.

Ab anno Christi 1410. ad 1420.

1411. Joanes XXIII. Romam venit, & per Ludovicum Siciliæ Regem, & Sfortianam



tiam atque Paulum Ursinum Pontificiarum  
copiarum Duces Ladislaum Regem Ne-  
apolitanum, Italiæ turbatorem magnâ stre-  
ge vincit.

Duo Ianiones Cossulinus & Mongiolus  
Bononiæ tyrannidem occupant, & nobis  
plurimos boum & pecudû more mactant  
jugulant Quod idem fecerunt Ianiones Pa-  
risienses, qui hoc tempore in gratiam Du-  
cis Burgundi contra Regem & Delphinum  
incitati rexerunt Lutetiam, verum utrobis  
que ab honestis civibus retusi & suppressi  
sunt.

✠(1312.)✠ Joannes Huss suas hæreses  
per Bohemiam disseminat, occasione utitur  
Albici Archi-Episcopi Pragensis, supinam  
ignaviâ & forditiæ, fordibus ipsis forditi-  
diore, avaritiâ, vix credendâ. Hic enim  
claves cellæ vinariæ servabat secum in sa-  
cra, & vix non ad pectus appendisset, loco  
crucis Archi-Episcopalis: Oblata sibi edu-  
lia vendebat, & equos non alebat, quoniam  
etiam noctu comederent. Et alia ejusmo-  
di sordium paradoxa: tunc ergo indor-  
miente tali Præsule, quem socors Wenc-  
ceslaus in locum Stinconis suffecerat, mis-  
si ab Hussio qui contra indulgentias, Pon-  
tificem & Ecclesiam debaccharentur, &  
tametsi Wenceslaus Hussum sic jubente

Joanne



Joanne XIII. Pragá tandem ejecerit, ejus tamen sectarii gravius tumultuati sunt & facti sunt ferociores.

S. Vincentius Ferrerius plurimos Judæos in Hispania, in super & infinitam multitudinem Saracenorum virtute Crucis quæ eo concionante super auditorum vestes videbantur, ad Christum convertit.

Sigismundus Imperator venit in Italiam & cum Pontifice agit de instituendo concilio Constantiensi, ad schisma penitus tollendum.

\*(1413.)\* Ladislaus Neapolitanus Rex adjuvantibus fautoribus suis per fracta mœnia occupat Romam & expilat, vix Pontifice cum suis Cardinalibus fugá elapso. Moliebatur tunc Ladislaus dominatum in totam Italiam, sed tam ampla desideria brevi mortualis loculus continuit.

Sigismundus Imperator & Pontifex magnum vitæ periculum subeunt Cremonæ, ubi Gabrinus Fundulus Dominus urbis decreverat utrumque hospitem ex alta turris turre præcipitare, in qua splendido convivio dolosè exceperat. Avertit Deus casum, qui solus in eum potuit in quem nulla jura valebant.

Samogitia Poloniæ Provincia adniten- te Jagellone Poloniæ Rege Christianam fidem amplectitur.

Hen-



Henricus IV. Rex Angliæ moritur, ei  
filius Henricus V. succedit.

✽(1414.)✽ Obiit hoc anno Ladislaus  
veneno sublatus, à medico Judæo, cuius  
filiâ Rex libidinosus abutebatur, sed & pe-  
ter sceleratus nummos filiæ prætulit, cui  
svasit medicamine quodam oblinere pu-  
denda sua, ad excitandam in Ladislaolibidinem &  
dinem: quod cum illa præstitisset, & ju-  
dæa & Rex periëre, ex nimio coitu, alii  
dicunt igne sacro correptis virilibus ex-  
tinctum esse idque anno ætatis 40. reg-  
ni 29. cum ingenti omnium bonorum la-  
titia.

Concilium Constantiense inchoatur  
cui interfuere Joannes Papa & Sigismun-  
dus Imperator, Patriarchæ quatuor, Car-  
dinales 29. Antistites 270. Doctores 504.  
ad hoc Concilium citatus Hussius cum  
magna amicorum turba triumphantis mo-  
dum accessit: dum autem disseminaret  
hæreses suas ibidem contra prohibitionem  
effrenatâ audaciâ, in carcerem intruden-  
dus fugâ se proripere conatus est, sed in  
curru stramine pleno & bene tectus quo  
extra urbem portari volebat, deprehensus  
in carcerem compactus est, jam planè de-  
speratus reus, qui inter judices suos infan-  
nire ausus erat.



(1415.) ✱ In Concilio Constantiensi  
 Janes Hus, & Hieronymus Pragensis Hæ-  
 retici convincuntur : & ille quidem tan-  
 tam pertinax flammis addicitur, & com-  
 uritur : Hic autem suam hæresim coram  
 concilio ejurat ac damnat, sed mox fugit,  
 a fuga retractus, per Bavarix Du-  
 cem & Constantiam reductus carceri in-  
 ducitur. Hus porrò in rogo constitutus  
 terminatus est Cygnum pro anser Lu-  
 therum scilicet pro Hus (quæ vox Bohe-  
 mis anser est) nasciturum: hinc colitur à fu-  
 turis prophetes & omnium martyrum pri-  
 mus. Quæ fautores ejus objiciunt Catholi-  
 cis de datis ei litteris securitatis, ac post-  
 modum datâ fide violatâ à concilio, nullius  
 momenti hæreticæ jaçantix, utpotè  
 fugâ suâ irritas eas reddiderat, & ipse  
 eas dederat Imperator Sigismundus  
 applicium id exegit, non Papa, vel Patres  
 congregati.  
 Joannes XXIII. Papa & Benedictus  
 XIII. deponuntur à Concilio Constantiensi  
 Gregorius verò ipsemet sponte Papatui  
 renunciat consentiendo in sui depositio-  
 nem, à Concilio Pisano factam, factumque  
 decretum, ne ullus ex tribus dictis eligatur  
 Pontificem, hæc tamen non sine magna  
 difficultate peracta sunt. Benedictus enim  
 Joannes valde inviti ad hoc pertracti  
 R sunt;



sunt ; & Joannes quidem dissimulato  
bitu operâ Friderici Austriæ Ducis  
se proripuit à Concilio Schaffusam  
pidum ejusdem Friderici, & inde ad  
nem Burgundum avolavit, & hâc fugâ  
omnes congregatos terruit ac pusillan  
reddidit, quos tamen Sigismundus  
rator fortiter & sapienter animavit, ec  
rem perduxit ut Pontificem Joannem  
litteras tandem emolliret ad abdicand  
& nisi svaviter simul & fortiter Sigism  
us se se opposuisset, tunc æquè Jo  
quàm Friderico Austriæ Duci (quem ex  
citu suo coëgit, & tanquam turbato  
Concilio exauctoravit, solutis à jurame  
fidelitatis omnibus subditis ejus) certo  
tius hoc étiam Concilium in vanum ab  
set. Plurimum quoque pro bono Eccl  
siæ laborâsse & Catholici Imper. pa  
strenuè egisse visus est, quando prius  
ad Benedictum seu Petrum de Lunâ  
minarum legatione, ipse tandem post  
sionem decimam septimam ad Petrum  
Lunâ, & Regem Arragoniæ, cum Comitib  
& Patrum benedictione perrexit Perpi  
num, nihil omittens ad concordiam faci  
dam utile & necessarium : quamvis  
dolosa vulpes Petrus de Lunâ è cassibus  
se iterum eripuerit, tum Sigismundum  
Arrag



ragonix Regem ludificatus: astute enim  
 Ducis caperetur fugit Panis-Colam, munitif-  
 fufam in rupe oppidum, quo se ad obitum  
 de ad; contumax & perni-  
 hac fugi-  
 ofus.

Eodem anno Franci ab Anglis prælio  
 sti, in quo periêrunt Francorum 10000.  
 navit, eorum magno nobilium numero.

Machometes Calebinus Turcarum Rex  
 adrianopolim sedem regni sui statuit, ut  
 er Sigim fortius & facilius pugnaret in Europa  
 què Joa contra Europam.

\*(1416.)\* Ferdinandus Rex Arra-  
 turbatonix moritur, succedit eidem filius Al-  
 onfus cognomento magnanimus.

Concilium Constantiense reassumitur,  
 quo sessione XXI. Hieronymus Pragen-  
 onis rursus condemnatur, & vivus ibidem  
 per. paturitur habitus à suis martyr in terris  
 prius in flammis in inferno torquetur æternis.

Hernia Dux Bosniæ injuriis quorundam  
 magnatum Hungariæ irritatus à coronæ  
 Petrum Hungariæ ad Turcam deficit, & acceptis à  
 Machomete copiis Hungaros vincit.

\*(1417.)\* Perspectâ Petri de Lunâ  
 etinaciâ, actum de eo multis sessionibus  
 tandem depositus est. Tunc ingressi Car-  
 cassibus nales in conclave in festo S. Martini Pon-  
 ndum, vicem nominârunt Ottonem Columnam



Romanum, qui se ideo Martinum Vobilis  
 minari voluit. Statutum est deinde  
 Joane custodiendo, qui etiam per bierum  
 in Germania servatus est, tum prop  
 crimina quæ in Concilio sibi objecta  
 satis diluit, tum etiam ut tant  
 mior esset pax Ecclesiæ & à schismat  
 novando securior: Is tamen corrup  
 demum auro custodibus effugit ex cap  
 futurus erro, majori Ecclesiæ metu, qu  
 damno.

Bohemi suppliciis Hussi & Hieron  
 Pragensis efferati calicem retinent, d  
 tum in Concilio, Ecclesias diruunt, b  
 30. millia convenientes erectis in pat  
 campo 300. mensis, sub utraque sp  
 communicant, tunc autem nihil prop  
 factum est, quam ut Wenceslaus Re  
 iis cæderetur, tantum deterriti sunt  
 tione Conradi Facundi Sacerdotis  
 persuasit ferendum esse Regem inerm  
 & benignum. Wenceslaus tamen pat  
 re attonitus, paralyti exinde corrept  
 mortuus est die 16. Augusti. Et dum  
 terim frater ejus Sigismundus Imperat  
 regnum hoc sibi debitum occupare con  
 tur, iidem hæretici Ducem sibi confit  
 runt Joannem Ziskam, hoc est *Cacum* qu  
 altero tantum oculo videret: qui gene  
 nobis



abilis, & in aula educatus, & bellicarum  
 rum apprimè peritus, jam Hussitarum  
 factus, Imperatori, & Principibus.  
 clesiis, imaginibus, & aliis omnibus sa-  
 rebus, & personis bellum atrocissimum  
 tulit: qui etiam à loco quodam munito,  
 nem incivitem amplificavit, & Thabor  
 bellavit, asseclas suos Thaboritas no-  
 navit: ut sic faciliùs illis persvaderet,  
 sam ab ipsis fuisse in monte Thabor transf-  
 gurationem Salvatoris, & ibi haustas fu-  
 e suas veritates fidei, & hæc civitas fa-  
 est spelunca & refugium omnium hære-  
 corum, & latronum.

(1418.) ✱ Joannes Betancurtius no-  
 llis Nortmannus sub auspiciis Castellæ,  
 regis quinque fortunatas insulas subigit,  
 rumque se Regem dicit. Cui mortuo  
 accessit propinquus Menantes, qui Cana-  
 nam occupavit.

Errones, quos Germani *Heiden* sive *Zi-*  
*mer*, Galli Ægyptios vocant, hoc pri-  
 mum tempore cœperunt in Germania vi-  
 eri, qui vel sole excocti, vel aliâ arte fu-  
 cti, immundi, & lacerâ plerumque veste,  
 tentique furtis & libidinibus, vulgus ho-  
 minum falsa suâ Chiromantiâ passim deci-  
 unt: mentiunturque se ex illis descen-  
 e Singaræ urbis Mesopotamiæ incolis,



qui post extinctum Julianum Apostatam: c  
 inde pulsi, vagi deinceps erraverunt. uscu

Concilio Constantiensi finis imponitur  
 quod tribus annis, & ferè sex mensibus post in  
 nuit, & approbatum est à Martino in octo an  
 nibus, quæ spectârunt ad fidem, non ræce ej  
 quoad ultimas illius sessiones. De hinc  
 Concilio Sigismundus gloriam retulit, & in  
 terris immortalem, Hercule felicior, S. E  
 cisâ Pontificum Hydrâ, cui nova quatuor  
 capita adnascebantur.

Posthæc Martinus Papa relicta Cont  
 tiâ Mantuam se contulit, & inde Florenti  
 am, necdum enim Romam adire potuit  
 nondum sedatos tumultus.

✱(1419.)✱ Emmanuel Imperator  
 rientis inconsultè Imperii jam aliunde  
 firmi ditiones inter quinque suos liberos  
 dividit, hac divisione in ultimam  
 Imperium præcipitaturus.

Martinus V. Cardinales Joannis, & post m  
 sum Joannem XXIII, qui, corruptis  
 custodibus, fugerat ex carcere, benedict  
 recipit, & hoc valde utile erat Ecclesiæ  
 Joannes enim vir magni animi à multis  
 novos tumultus expetebatur, sed Deo m  
 veute cor viri, ipse sine conditionibus  
 cautione obtulit se Martino, eumque  
 quam verum & legitimè electum veneris  
 et:



Apostat: qui & statim creatus est Episcopus  
verunt. Tusculanus, & Cardinalium Decanus, apud  
s imponit Martinum magno in honore habitus, obiit  
mensibus ost insignia Pontificatus deposita, vixit  
tino in annos 4. menses sex. Curavit magni-  
n, non te ejus funus Cosmas Mediceus civis Flo-  
s. De entinus, illi conjunctissimus, cujus etiam  
n retulit pecuniâ valde ditatus fuisse perhibetur.

elicior, S. Bernardinus Senensis eximius cultor  
va quod omnis JESU, mirabiles fructus suis con-  
onibus efficit in animis fidelium.

Etâ Conit Wenceslao mortuo & sepulto clam ac  
de Florenae pompâ metu Hussitarum, Sigismundus  
re potuit acilè potuisset opprimere Ziskam furen-  
tem, ac multa jam oppida redigentem in  
perator quam potestatem, sed maluit arma conver-  
aliunde ere in Turcas, pietate non satis prudente,  
os liberos enim Bohemiam perdidit, & Hungariam  
am ruit non defendit.

S. Vincentius Ferrerius clarus in vita, &  
nnis, & post mortem miraculis, moritur.

\*(1420.)\* Judæi Hussitis opitulantur  
, benevissâ pecuniâ, quos ideo Fridericus Au-  
Eccleziæ triacus omnibus bonis exuit.

Sigismundus obsidet Pragam, sed à Zis-  
l Deo cogitur solvere obsidionem, vocaturq;  
ionibus ab hæreticis Draco rufus Apocalypseos.

Eodem tempore Pikardus quidam no-  
veneris mine, natione Belga infamem Adamitarum



hæresin & nuditatem in Bohemiam inven-  
 Sæviêrunt etiam ibidem Orebitæ, urbe  
 reb constitutâ instar Thaboris. Mons  
 on, urbs exstructa à Joanne Roatio, un-  
 in Catholicos fanatici homines eruperunt  
 Bohemiæ non minùs, quàm Ecclesiæ pe-  
 niciosi. Sigismundus interea grandem  
 conficit exercitum, eoq̄ue tam infelicitate  
 pugnat, ut quinques tentatâ Bohemiæ  
 quinques victus, omnibus amissis, non magis  
 quam etiam hoste non viso recesserit. Ro-  
 pugnat enim Imperatori Ziska, de morbo  
 culo, nunc plenè factus cæcus, qui cum re-  
 geretur à puero, scientissimè tamen regere  
 bat exercitum, & disponebat aciem ex re-  
 latione sitûs hostilis exercitûs, & ostendit  
 pluris esse sapere, quàm videre.

Martinus V. Papa Romam venit, quam  
 mirè devastatam reperit, sed brevi tempo-  
 re ita restaurat, ut non tantùm Pontifex,  
 sed & conditor urbis Romulus esse videretur.  
 Inter maximos autem honores male  
 habitus est à Braccio Perusino, qui contumeliosè  
 minitabatur, se Martinum effectuum egentem  
 sacrificulum, & qui missam suam sex denariis  
 licitaretur, dum ipse sibi totius Italiæ spon-  
 deret Imperium, sed post aliquot annos in prælio  
 cæsus, nequidem Italiæ sex pedes habuit ad sepul-  
 chrum.



Detecta est hoc anno Insula Matera, si-  
ve Madere, sic dicta ab arboribus, quibus  
tota obducebatur: Lusitani, cum sylvas  
eius incendissent, coacti sunt ore tenus la-  
tere in aquis, ut excitos per incendia  
calores devitarent. Sic exustam depre-  
henderunt postmodum vino suo & saccharo  
dulcissimam, ut mirarentur cupidiarum  
amatores tam diu eam latuisse.

DE ZISKA, ROSCESANA, SIVE RO-  
CKYSANA JOANNE ROATIO, PI-  
KARDO, HIERONYMO PRAGENSI,  
OREBITIS, ET ORPHANIS  
PRAGENSIBUS.

*Hieronimus Pragensis, afflicta Hussii ejusdem  
farinae, & ejusdem pena.*

*Ziska Dux Hussitarum, eorumque insania  
caecus & imperterritus propugnator, Thabo-  
ritarum conditor, & Ecclesiae perturbator inso-  
lentissimus, & hostis juratus, qui cum ab amicis  
rogetur in mortis articulo, ubi vellet sepeliri,  
pessit carnem suam feris & avibus projici, ex  
cute autem detracta tympanum bellicum confici,  
ad perterrefaciendos ejus pulsu Pontificios.*

*Joannes Roscesana seminator fuit zizanio-  
rum tum Joannis Hussii, tum Wicleffi, quan-  
to peior, tanto famosior.*

*Joannes Roatius ejusdem farinae socius, qui  
arcem exstruxit sylvis, quam Montem Sion*



vocavit, illinc, asserens, emanaturam veritatem, & interea confederatorum operam usus, quorundam Baronum inimicorum pacis, praestegit, maximo cum detrimento vicinorum locorum.

**P**ikardus Flander sedam Adamitarum heresin in Bohemiam invexit, ut in Bohemiam veluti cloacam omne caenum sectariorum confunderet: Vocabat iste nebulo & discipuli impurissimam bestialem licentiam in concubitu indifferenter, & omni specie libidinis veram libertatem filiorum Dei, sine qua omnes alii, amatores honestatis, essent servi & mancipia.

**B**edricus auctor Orebitarum, malitia notus fuit inferior Thaboritis, eorumque auctor, qui ex constituta urbe sua Orebitarum egit, Sacerdotes trucidavit, & omne scelus fanaticae feritatis divina illustratione excusavit.

**B**ohemi denique Hussiticam peste infecti in tres classes se diviserunt, qui mitiores ceteris erant & magis tolerabiles, Pragenses dicebantur. Secta altera erat Thaboritarum, de quibus supra. Tertia pars erat secta Orphanorum, eorum scilicet, qui propter mortem magistri, ac progenitoris sui hoc nomen sumpserunt: una eademque fax cum ceteris.





## DECAS III.

✽ Ab anno 1420. ad annum 1430. ✽

1421. **H**ussitæ de Sigismundo Imperatore  
✽ **H**uictores, pseudo-Synodum indi-  
cunt Pragam, mox tamen inter se dissident,  
quibusdam usum Calicis tantum retinenti-  
bus (unde Calixtini dicti) aliis errores, si-  
mul Wicleffi & Hussi propugnantibus.

Machomete Rege Turcarum mortuo,  
succedit Amurathes II.

Delphinus Franciæ Carolus auxilio Sco-  
torum Anglos vincit.

Flandria, Hollandia, Zelandia ab æstu  
maris pænè obruuntur, 72. magnis pagis  
aquâ demersis.

✽ (1422.) ✽ Hussitæ contra Regem Si-  
gismundum regnum Bohemiæ Uladislao  
seu Jagelloni Regi Poloniæ, ac deinde Vi-  
tondo Duci Lithuanix deferunt, quod ta-  
men uterque illorum constanter & sanctè  
recusant.

Obiit hoc anno Henricus Rex Angliæ  
prope Parisios 29. Augusti: quem eodem  
anno secutus est Carolus VI. Rex Franciæ.

✽ (1423.) ✽ Defuncto sine prole Alber-  
to ex



to ex familia Anhaltina Duce Saxoniae, Imperator Electoratum ad Fridericum Marchionem Misniae, & Landgravium Thuringiae transfert, quorum primus Elector Fridericus Marchio Misniae, & Landgravius Thuringiae.

Amurathes Rex Turcarum Epiro sibi subacta, accipit à Joanne Castrioto Principe tres filios obsides, quorum nativum egregiae indolis in re bellica exerciturat, & Scanderbegum, hoc est, Alexandrum Dominum nuncupat.

✽(1424.)✽ Jacobus Scotiae Rex nominis hujus primus post 18. annos captivatis magnâ persolutâ pecuniâ, tandem in regnum ab Anglis dimittitur.

Benedictus Anti-Papa tandem mortuus mense Majo, postquam insignia Pontificatus 30. annis gestasset, & 90. vixisset, & soli duo, qui eum sequebantur, Cardinales successorem ei dicunt Ægidium Munotium, sive Munotium Canonicum Barcinonensem, recusantem omninò accipere nomen dignitatis, nî Alphonsus Rex Aragoniae in odium Martini Papae, cui erat infensus ob res Neapolitanas, eum confirmasset, indito illi nomine Clementis VIII Sed post annos quatuor reconciliato Alphonso cum Martino, coactus est hic bellus Papa abdicare



care se; nonnullâ tamen factâ compensa-  
tione, creatus est Episcopus Balearis, per-  
stititque solus & verus Pontifex Martinus.

Ziska Dux Hussitarum magnis promif-  
sis, imo etiam spe regni à Sigismundo  
pellectus, dum iter ad eum instituit, cor-  
reptus peste moritur, eoque mortuo secti  
sunt in duas factiones, Thaboritæ elege-  
runt sibi Procopium cognomento *Rafum*,  
Orebitæ sibi Presbyterum Bedricum Sa-  
terdotem conjugatum præposuerunt, ini-  
mici inter se omnes, nisi cùm agendum esset  
contra Germanos. Vulpes Sampsonis no-  
xiæ, tantùm ad perdendum unanimes cau-  
dis accensis, capite omninò discordes atq;  
diversi.

✽(1425.)✽ Alphonfus Rex Arrago-  
niæ post bellum aliquamdiu in Joannem  
Neapolitanum protractum redit in Arra-  
goniam, & Massiliam in transitu vastat; An-  
degavensis autem, totum interim regnum  
Neapolitanum vastat.

Moritur Constantinopoli Emmanuel  
seu Manuel Græcorum Imperator anno æ-  
tatis 77. ei que succedit in regno Joannes  
VII. filiorum natu-maximus, cujus uxor  
Sophia fugit relicto marito, à quo se sper-  
ni putabat, ad Patrem Marchionem mon-  
tisterrati, ita Joannes duxisse fertur Ma-  
riam



riam Comnenam Imperatoris Trapezuntini filiam.

✽(1426.)✽ Sultanus Ægypti Sagittaria dictus Insulam Cypri vastat, & omnes urbes præter Famaugustam diruit, & ipsum Regem Joannem capit, postea redemptum a cive Genuensi 200. aureorum millibus, populus universus aut cæsus, aut abductus. Venerat ad hunc Regem auxilium ex Europa, sed tardius, jamque capto Rege, unde veriti Cruciferi ne Rex, quod Sultanus minabatur, interficeretur, re infectâ rediêrunt. Idem Sultanus Sepulchro Christianos prohibet, sed licentiam protinus reddit, audito quòd Ludovicus Palatinus Rheni & Baviaræ Dux in Palæstinam copias admoveret. Qui etiam inde rediit ex morbo in mari cæcus factus, & cum ingenti barba quam deinceps non deposuit, unde & nomen retulit *Ducis barbati* & *Ducis cæci* ac simul magnam laudem pietatis.

Alphonfus Arragonius insanire pergit contra Martinum V. in quem iste severissimam sententiam dicit, quam anno sequenti Alphonfus jam furore defervescente ex tabulis Apostolicis expungi iussit.

✽(1427.)✽ Hussitæ grassantur per Germaniam, & fædum in modum omnia sacra confundunt, & diripiunt ac vastant.



copiæ quoq; , quæ missæ sunt ab Anglia ad retundendos hæreticos, non mitiùs depopulantur Germaniam, & diruunt Ecclesias: cumq; exercitus Germanus tantus esset, ut sufficeret toti Bohemiæ subigendæ, ille flagitiosè fugit hoste non viso.

Joannes Brabantia Dux Lovaniensem Academiam erigit.

✱(1428.)✱ Anni hujus hyems memorabilis est in Italia, quia florifera fuit, quam secuta est lues, & in Pontificem rebellio Bononiensium : Quare urbs eorum interdicto supposita, quod Dominicanus quidam indixit.

Laurentius Justinianus ex Monacho Patriarcha Venetus sanctitate & sapientiâ floret.

Sigismundus fuit infortunatus in bello, etiam hoc anno, ut enim excusaret se Pontifici de bello Bohemico, expeditionem suscepit in Turcas, sed eventu non felici & adeo laudando : nam transito aliquot lembis Danubio, partem copiarum barbaro concidendam objecit. Adscivit sibi post hoc Sigismundus prudentiorem Præfectum belli & peritiorem, Pipum, seu Philippum Florentinum, à quo brevi 40. Turcarum millia cæsa sunt, & docuit verum esse, quod dixit Vegetius, milites è Septentrio-



tentrione, & Duces ex Australibus plagis accersendos esse.

✱(1429.)✱ Puella Aurelianensis Joanna dicta rusticana virgo Lotharinga ex pago Damregii ad Mosam Diocesis Tullensis annos duodeviginti nata, sed divinis visionibus illustrata, dum res Gallorum ad extrema redacta esset, Aureliam jam ab Anglis obsessam, equo & virili veste a Roberto Brandicurtio Vallis-Colloris oppidi Praefecto instructa, per medios hostes ad Regem venit Caenonem, & elato ense crucibus notato ex aede S. Catharinae de *Sylva* in agro Turonensi, vexillum praefrens candidum nominibus Jesu & Mariae inscriptum dissipat obsidionem Aurelianensem, Anglos omnibus suis munitionibus exuit, & plenos ignominiae atque plagarum remittit, atque inde dicta est Puella Aurelianensis: sed & alia multa praecclare & admiranda haec puella gessit, magnum Franciae decus & ornamentum.

Hussitae grassantur tripartito agmine, per Hungariam, Poloniam & Austriam cunctante vel nihil agente Sigismundo.

Obeunt hoc anno duo praecleari sui temporis scriptores Paulus Venetus & Joannes Gerson celebris Academiae Parisiensis Cancellarius.




✱(1430.)✱ Philippus Brugis in honorem S. Andreæ instituit Ordinem velleris aurei à vellere Gedeonis, ut pii volunt, vel ab aurea pelle Argonautarum & Jasonis ut scribunt eruditi, & perseverat adhuc in Hispania virtutis, & simul nobilitatis insigne.

Cinxit paulò pòst idem Philippus Compendium urbem obsidione, cui ut succurreret advolat Puella Aurelianensis, & in urbem ingressa, ac postridie dum eruptionem facit vulnerata & equo dejecta, vel à feroci quadrupede, vel à Joanne Lucemburgio robusto equite capta est. Quæ ingenti pretio vendita Anglis ac Rothomagum perducta ibi viva combusta, quasi magiæ, hæresis, luxuriæ rea; cor tamen ejus nunquam uri consumiç; potuit. Sententiam in eam tulit Cauchonius Episcopus Bellovacensis, patriæ, religionis, & æquitatis proditor, quam Calistus III. anno 1456. causâ ejus recognitâ, & diligenter excusâ innocentem declaravit. Cauchonius non diù pòst repentinâ morte sublatus, judices alii duo vivi exusti, duorum jam demortuorum ossa cremata: Imò etiam à puellæ supplicio Anglorum res in præceps ruere.

DE-





## DECAS IV.

✽ *Ab anno Christi 1430. ad 1440.* ✽

1431. **T**Hessalonica urbs Græciæ à Turcis occupatur Venetis suis navigiis fugientibus, incolis reliquis omnibus cæcis aut venditis.

Sigismundus tandem exercitum parat contra Hussitas Catholicis ubiq; terribiles.

Concilium Basileense indicitur à Martino V. qui tamen eo nondum inchoato diem obit, vir omni laude dignus, & tantum ab heterodoxis convitiis traductus, suffectus est illi Gabriel Condelmerius Venetus dictus Eugenius IV. à quo Basileense Concilium Basileæ quidem inchoatum est, sed ab eodem mox Avenione indictum, quò etiam Sigismundus invitatus est. Qui prius in Italiam veniens Mediolani coronâ ferreâ acceptâ Parmæ & Placentiæ hymnavit.

✽(1432.)✽ Sigismundus Imperator Angliæ & Franciæ Reges, & multò vehementiùs Julianus Cæsarinus legatus à latere, qui missus erat in Germaniam contra Hussitas, Eugenium Pontificem Concilium dissipare volentem, increpant, & urgent  
ad



ad Concilium continuandum, quò etiam Hussitæ Bohemi invitantur, datis securitatis litteris, quæ dicuntur *Salvus Conductus*. Itaque habitæ sunt sessiones, in quibus, dum aliqua decernuntur, quibus Eugenii auctoritas infringebatur, cum etiam sigillum Concilii insculptum esset, in quo Spiritus S. depictus erat cum hac epigrapha, *Sacrosancta Synodus Generalis Basileensis*. His & similibus Concilium potiùs perturbatù, quàm promotum est, membris à capite divulsis & recedentibus. Sigismundus autem Imperator Romæ ab Eugenio coronâ aureâ coronatur, & pro Concilio proseguendo fortiùs agit, atque Pontificem pro Concilio meliorem reddit.

\*(1433.)\* Recipiuntur à Concilio 300. Hussitæ cum ducibus aliquibus, & patienter audiuntur à Patribus, ac cum vincinollent, Pragam cum legatione eruditorum virorum remittuntur. Confirmat Pontifex Concilium. ad quod ipse etiam remisiss suis legatis à Patribus congregatis vocatur, quos tamen prudenter Sigismundus monuit, ut cum Eugenio moderatè agerent, neque pacem turbarent Ecclesiæ, dum Eugenium meliorem reddere volunt.

Legati à Concilio ad Bohemos missi, retulère ab Hussitis 4. articulos, qui leviter immu-

immu-



immutati recepti sunt. Facta eis potestate sub utraque specie communicandi, eallege, ut aliter agentes non damnarent, aliosque deponerent errores: sic pax confecta, & editum publicum instrumentum, dictum *Compactata*. Thaboritæ tamen, & Orphani recusavere fœdus, & Pilznanu obsederunt, itaque ferro exterminandi erant, qui ratione nolebant,

Basileenses Patres, & Eugenius durus in se se invicem agunt, & Pontifex quidem irritat omnia, quæ contra se acta fuerunt sess. XII. Interim Basileam venit Sigismundus, qui & sessioni XIV. interfuit. Tunc autem Eugenius permotus legationibus Sigismundi, Caroli Franci, & Philippi Burgundi, aliunde veritus Principes Italos, & quod eum pungebat magis, Ecclesiæ schisma, tandem adhæsit Concilio, eâ conditione, ut Patres contra se decreta abolerent, & ipse ab iis facta probaret. Quò ex necessitate & metu damni sibi, totique Ecclesiæ gravioris Pontificem descendisse, nemo sapiens potest ambigere.

Circa hoc tempus Franciscus Carmanio-  
la patre rusticello natus, cujus ipse subul-  
cus fuit, Dux Venetorum creatus, multas vi-  
ctorias peperit, sed ab eisdem Venetis pro-  
ditionis suspectus, jussu Senatûs cæsus est,  
& cum



& cum 200. Senatores plerique ejus amici concilio, in quo de eo tollendo agebatur, interfuissent, & octo mensibus supplicium dilatatum fuisset, cum ille in castris versaretur, nec minimum tamen Carmaniolæ, quid circa se ageretur, innotuit, ut dubium videatur, an plus admiranda Venetorum taciturnitas, an rara in Ducem benè meritum severitas.

✽(1434.)✽ Basileæ Græcorum Legati cum litteris Joannis Palæologi Imperatoris & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani recipiuntur à Concilio sessione XIX. & sessione XXI Annatæ beneficiorum Ecclesiasticorum abrogantur.

Sigismundus Imperator, post cæsos ad Pilznam cruento prælio Thaboritas & Orphanos, quorum plurimi, qui ad pugnam parati erant, in horreis vivi combusti sunt, ab omnibus Rex Bohemiæ acclamatur & salutatur.

Obiit hoc anno Uladislaus Jagello Rex Poloniæ, cum annis undequinquaginta regnasset. Vir admodum liberalis & valde pius, cui successit Uladislaus II. filius ejus.

✽(1435.)✽ Albertus Archi-Dux Austriæ gener Sigismundi Imperatoris, interea dum Sigismundus conatur reformare Imperium, cum Hungaris adversus Turcas fali-



feliciter pugnat. Collatâ semel acie, cùm jam disjectis signis Hungari fugerent, fecit illis animos gregarius miles, vir fortis, qui securi per Turcas viam sibi fecit ad signa repetenda, & sic nobilem suis victoriam paravit, cæsis barbarorum octodecim millibus: factus est postmodum Eques à Sigismundo, donatusque multis prædiis, ut se verè nobilem virtute ac divitiis ostenderet.

Græci à Patribus Concilii & Pontificis sollicitati cum Latinis tandem convenire volunt, si modò assignaretur aliqua maritima civitas Italiæ, ad quam Imperator cum Patriarcha & Romano Pontifice convenire possent. Omniaque ad iter & viaticum parata sunt & expedita.

Obiit Joanna utriusque regni Siculi Regina, & in pœnam suæ luxuriæ ignobili tumulto condi petit. Scripsit illa moriens hæredem Renatum Andegavensem Ludovici III. fratrem, constitutis 16. Proceribus, qui regnum ad ejus usque adventum administrarent. In vinculis enim tum retinebatur apud Philippum Burgundiæ Ducem. Uxor tamen ejus Isabella cum duobus liberis eò perrexit, magnificè ubique & uti Regina excepta.

✱(1436.)✱ Alphonfus Arragoniæ Rex à Pontifice exclusus regno Neapolitano quod



quod sibi arrogabat, in odium Pontificis totum se dedit Patribus Basileensibus qui sessione XXIII. ad Pontificis auctoritatem coercendam varia constituunt, concernentia administrationem tum spiritualementum temporalem electionem Cardinalium & nepotes Pontificum eorumque promotiones, & similia, quæ ab omnibus Christianis potius exoptanda, quam tunc temporis ad exitum perducenda esse cuncti sapientes judicavere; Legati quoque Pontificii graviter reclamârunt iis, quæ abrogationem, annatarum electiones, & confirmationes comprehendebant. Unde omnia vergere cœperunt ad discordiam Eugenum inter & Patres Basileenses, & horum quidem favore plurimum nixus Alphonsus Arragonius in Italia multas urbes occupat, & vix non Romam in suam potestatem redegisset, nisi a Vitelesco Archi-Episcopo Florentino & Patriarcha Alexandrino viro forti & bellicoso retusus fuisset.

Iglaviæ in Moravia ubi Sigismundus Imperator & Albertus Dux Austriæ cum Alcinoë regni gubernatore aliisque proceribus convenerant, præcipuus Doctor Pragensium Rockyfana dictus cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius Cleri obe-



obedientiam sedi Apostolicæ profitentur  
& Bohemis anathemate solutis, & par  
tandem inita, diu exoptata.

Jacobus I. Rex Scotiæ à perduellibus  
in cubiculo suo 24. vulneribus confoditur  
auctore conjurationis Walthero Comite  
Atholiæ, in qua cæde maximopere eni-  
tuit fortitudo Catharinæ Duglusiæ, quæ  
reginæ ministrabat, hæc enim tum brachi-  
um in foramen pessuli quod conjurati sub-  
duxerant inseruit, id sibi frangi passus  
est, ut ingressu regicidas prohiberet, regi-  
na quoque sui corporis interpositione  
vindicans Regem duabus plagis affectus  
est: Conjurationis hujus auctor toto tri-  
duo crudeliter tortus, & coronâ ferreâ  
candente impositâ capiti Rex proditorum  
inauguratus est, cæteri que gravissimis  
omnes suppliciis interfecti. Successit Pa-  
tri Jacobus II. puer septennis, multis in  
regno suo grassationibus & seditionibus  
in pueritia sua exagitatus.

✱(1437.)✱ Magnum dissidium inter  
Basileenses & Eugenium oritur, ubi factiosi  
quidam ausi fuerunt Pontificem declarare  
contumacem, multi que ex Patribus Basileam deseruere, quod cum Eugenius didicisset, misit litteras publicas de translatione Concilii, vel Utinum, vel Florentiam: se-  
ditiosi



factiosi autem Basileenses faventes Pontifici malè mulctant, & ita se gerunt ut ab eis omnia formidanda viderentur: monentem insuper Sigismundum spreverunt. Itaque Eugenius jam nihil veritus factiosos ad locum Oecumenico Concilio Ferrariam designat. Græcis acceptissimum & omnibus bonis approbatum. Basileenses autem mox eam Concilii translationem irritam declarant, ab Arragonum Rege maxime in sua audacia corroborati, qui plurimum regnum Siciliae quam, Ecclesiam factiebat, hujus spiritu animati factiosi Patres nihil amplius egerunt, nisi in detrimentum Ecclesiae.

Sigismundus Imperator Znoymæ in Moravia moritur ex paralyfi anno ætatis 70. anno regni Hungarici 51. Romanorum 17. Bohemici 17. Imperii 5. Vir pace melior & clarior, quam bello, in Ecclesiam optimè affectus, sed parum pudicus, unde adulter uxori suæ adulteræ sæpe pepercit, quam nihilominus paulò antè mortem carceri inclusit quia de novis nuptiis agebat cum Rege Polonorum filia suæ Elisabethæ noxiis. Mortuo marito Imperatrix in omnem se effudit libidinem & vitam inter formosos Concubinos egit sine pudore, discessit autem Sigismundus sine re-

S

lieta



lectâ stirpe masculâ ideo Albertum Austriacum generum suum maritum Elisabetham designavit utriusque Regni sui Hungarici ac Bohemiarum successorem. Principem dignitatis naturæ & multis virtutibus instructissimum.

CONCILIUM FERRARIENSE & CONCILIABILUM BASILEENSE.

1438. **P**ostquam Basileenses factiosi Concilii sui sessione 31. Eugenium suspendenderunt ab officio & administratione Pontificatus, quam ad Concilium devolutam declararunt, Collegium insuper instituerunt virorum duodecim, trium scilicet ex singulis quatuor nationibus, qui Ecclesie Romanæ patrimonium administrarent: ab his missi sunt Legati à latere, qui ditiones & urbes regerent. Sed eorum plerique manus defugere, & tanta perturbatio indidit, ut eam permotus Julianus, aliique Cardinales discederent, uno remanente Basileæ Cardinali Arelatensi Ludovico Alemanno, viro magnæ eruditionis & pietatis. Et hic factus est Synagoga hujus caput. Statim etiam citati, qui Eugenii nomine ad Græcos legationes obiissent, hi autem illegitimos iudices sapienter irrisere. Inter terea 6. idus Januarii inchoatum est Concilium Ferrariense, jubente Eugenio, &



præfuit ejus nomine Nicolaus Albergatus  
 Cardinalis S. Crucis, ex Ordine Carthu-  
 sanorum cum Archi-Episcopis quinque,  
 Episcopis duodeviginti, Abbatibus decem,  
 aliquot Ordinum Generalibus, ac primâ  
 sessione post duos dies confirmata Concilii  
 translatio; secundâ verò præfente ipfomet  
 Eugenio cum 72. Episcopis, damnata Con-  
 cillii Basileensis decreta, & pœna in eos  
 constituta, qui Basileæ (cui hæresis Hussi-  
 tarum virus suum infuderat, & magnâ ex  
 parte infecerat) remanerent, & in hoc pe-  
 ssilenti confessu sederent. Inter hæc Vene-  
 tias appulit 6. idus Februarii Joannes Im-  
 perator Græcus cum fratre suo Demetrio,  
 & Josepho Patriarchâ Constantinopolita-  
 no, multisque Antistitibus ferè ad septin-  
 gentos, qui omnes magnificè excepti sunt  
 Bucentauro, moxque Pontificis legatione  
 honorati. Nec ita multò post Imperator  
 Ferrariam venit, splendidè quoque à Pon-  
 tifice receptus, & ad pedes ejus advolvi  
 prohibitus, tantùm manu ejus osculatâ:  
 Imperatorem mox secutus est Patriarcha  
 nave deauratâ, aliique Antistites omnes,  
 magnâ amoris significatione suscepti. Hi  
 statim rogavère Pontificem, ut reliqui  
 Principes Christiani vocarentur ad Conci-  
 lium, & sic eos ad auxilium invitarent, non



minùs suo Imperio, quàm Ecclesiæ pr  
videntes.

Dum autem factiosi Basileenses clam  
narent, quæcunq̃ Ferrariæ fierent,  
facta essent, ibidem sanior pars Ecclesiæ  
perterritè, & imperturbatè Concilii nego  
tia peragebant. Sic autem disponeba  
tur Græcorum & Latinorum sedes in Con  
cilio, ut in medio statuerentur capita SS  
Petri & Pauli cum Evangelio, sederent  
dextram Pontifex cum Præsulibus Latinis  
ad lævam Imp. Joanes cum Patriarcha, suis  
que Græcis; dumque tempus abiret Basile  
lensibus præfinitum, ne per illorum ablea  
tiam tempus inutiliter tereretur, discer  
tatum est inter Græcos & Latinos de pro  
cessione Spiritûs Sancti, de purgatorio  
de primatu Romanæ Ecclesiæ, delectis  
utrâque parte disceptatoribus, qui causam  
jam exagitatas, probè discussas, ac per  
fectas deferrent ad Synodum, in qua  
sublatâ omni lite deciderentur. Sessio  
bus jam XV. secundum alios, qui primas  
duas, quibus Græci nondum interfuerunt,  
adnumerant XVII. disputatum fuit non  
Rhetorico, sed Philosophico modo: Græ  
cis, ut ipsi elegerant, oppugnantibus, &  
Latinis defendentibus: Acerrimè quæ  
tum & agitatum, an ea vox in Symbolo  
int-



inferenda, *Filioq;*? agentibus Latinis, negantibus Græcis. Ex his disputârunt Marcus Ephesius, Andreas Rhodius, vulgò Colossius dictus, atque Bessaron. Ex Latinis Julianus Cardinalis, & Joannes Dominicanus Longobardiæ Provincialis, sed parvo fructu, cùm Græcis constitutum esset, hanc vocem *Filioque* non admittere, quanquam à Latinis convincerentur. Itaque illi de reditu suo cogitare cæperunt: sed hunc inhibuere Imperator & Patriarcha, & quoniam Ferrariæ grassabatur pestis, Synodum transferri Florentiam probaverunt, plus tamen pro Imperio suo, quam pro Ecclesia solliciti.

Dum hæc Ferrariæ agitantur, Albertus Austriacus coronatus in Regem Hungariæ Albæ-Regalis Kalendis Januarii, in Regem quoque Romanorum inauguratur Francofordiæ 13. Kalendas Aprilis, & demùm 3. Kalendas Julii Bohemiæ coronâ pragæ insignitur.

Contigit tunc temporis inter Germanos suspensio Judicii, quæ *Neutralitas Germanica* dicta est, ad annos octo producta, ab Eugenio & Basileensibus damnata, cùm tamen utrique parti Albertus favere videretur, jussis Basileæ hærere Legatis, quos Sigismundus miserat.



fileenses Patres pecunias in Austriâ collatas ex indulgentiis pro viatico Græcorum illis assignavere.

Renatus hæres utriusque Siciliæ à Jonânâ in testamento constitutus, & hætenus Philippo Burgundo captivus retentus, nunc magnâ pecuniæ summâ in libertatem assertus, regnum suum Siciliam adit, sed ab Alphonso Arragonio in capite regni Neapoli obsidetur, irrito tamen conatu re namque infectâ, ob pluvium cælum, Arragonius cedere coactus est: in qua obsidione memorabile illud contigit: Cum Petrus frater Alphonfi tormentum bellicum explodi jussisset in Basilicam Carmelitanorum, & pila emissa elisura esset caput imaginis Christi de Cruce pendens, demissa caput imago, ut globus irritu ictu supervolaret: die autem sequenti ex eodem loco emissa tormenti pila eundem Petrum interemit. Hæc imago etiamnum servatur Neapoli ad perpetuam miraculi memoriam.

✽(1439.)✽ Pontifex venit Florentiam cum Patribus diversis itineribus eò proficiscentibus, & insidias tum Philippi Burgundi, tum Alphonfi Arragonii, hostium Pontificis, sapienter declinantis. Prohibuit autem Carolus VII. Rex Franciæ, ne quis Francorum Præsulum eò se transferret, quare



quamvis non omnes paruerint. Per hoc autem non est receptum in Franciâ & à Rege Concilium Basileense, ut quidam ineptè garrunt, uti neque per Pragmaticam sanctionem in civitate Bituricensi editam, & in regno promulgatam, quia per illam nihil Basileensi Concilio addere voluit, Carolus auctoritatis, & nihil Ferrariensi vel Florentino auferre, sed tantum incertus, quid in hac divisione partium faciendum esset, collectis multis Antistitibus regni sui, & Proceribus in civitatem Bituricensem, hoc interim medio consulere, & regno, & Ecclesiæ voluit.

CONCILIUM FLORENTINUM,  
QUOD FUIT FERRARIENSIS BASI-  
LEENSIS CONTINUATIO.

PRIMA sessio Concilii Florentini (non computatis Ferrariensibus XVII. vel XIX.) habita est 4. Kal. Martii, in eâ & sequentibus actum de vocibus *Filioque* vel *per Filium*, ac tandem uno reclamante Marco Ephesio, decretum, ut Latini dicerent *Filioque*, Græci autem *per Filium*: ita tamen, ut omnes idem significarent, nec quicquam filio & Spiritui Sancto detraherent: imò plerique Græcorum huic voci *Filioque* subscripserunt, Restabant capita de purgatorio, de primatu Ecclesiæ Romanæ, de



fermentato & azymo, & de Missæ sacri-  
 cio, dum ad ea excutienda se Patres para-  
 obiit Josephus Patriarcha è cenâ rediens  
 in ædem, relicta tamen schedulâ suo no-  
 mine descripta, cum nomine Oecumenicis  
 quâ purgatorium & primatum Romanæ Sa-  
 dis admittebat: sepultus Græco funere  
 sed magnifico. His exequiis celebratis  
 agitatae sunt quæstiones: purgatorio  
 quievère Græci, eâ lege, ut non decideret  
 tur, utrum in eo esset ignis, aut caligo,  
 aut turbo, aut aliquid aliud: azymo item,  
 ut hoc Latini, ipsi fermentato facerent: de  
 primatu major difficultas extitit, & qua  
 pænè concordiam discussit: sed ea tandem  
 coaluit, & hic quoque primatus receptus  
 Græcâ infertâ voce ( quæ tamen non satis  
 Latinæ respondebat ) Denique definitio  
 Concilii pronunciata est ab Eugenio, Bul-  
 lâ, quæ incipit *Eugenius*, hoc anno datâ  
 Nonis Junii, cui Patres omnes tum Græci,  
 tum Latini subscripsère, præter Marcum  
 Ephesium, aliumque Græcum quendam  
 Marci discipulum. Actum postea de aliis  
 controversiis, de Sacrificio Missæ, Chris-  
 mate confecto à Sacerdotibus, de Confir-  
 matione, quam Græci negabant esse Sa-  
 cramentum, sed nihil æquè utramque par-  
 tem torfit, quàm Patriarchæ in hoc Conci-  
 lio



libro facienda electio. Et id maximè optabat Eugenius, & Electo amplum viaticum pollicebatur, cum Patriarchatûs Latini apud Græcos abolitione, ut ipse utriusq; privilegiis uteretur: Sed pertinaciter resistit Joannes Imperator, nec ullâ arte vel promissis ab hac mente revocari potuit, quasi in eo Imperii, & Ecclesiæ Græcæ cardo verteretur.

Dum Imperator jam esset in procinctu sui reditûs, advenère Armeni Apocryfarii seu Legati Catholici Armenorum, cupientes à Concilio dirigi & doceri. Joannes autem Imperator Græcorum paulò post abiit, ab Eugenio multis beneficiis acceptis ac cum luculento auxilio, nec non majoribus promissis: Sicque Venetias primò hoc anno, sequenti autem Constantinopolim appulit, auctior muneribus & divitiis, quam fide & religione. Edita tunc est ab Eugenio fidei confessio pro Armenis, hoc est, Symbolum Constantinopolitanum cum hac voce *Filioque*, & alia quoque hætenus ignota tanquam hæretica judicata, recepta sunt.

Post discessum hæreticorum tribus adhuc annis Concilium continuatum est inter multas turbas & vicissitudines; contumaciter enim Basileenses perstabant in suo



schismate, & eò temeritatis deventum. ut sessione 31. missis ab Amadæo Sabaudis omnibus ditionis suæ Episcopis & Abbatibus Eugenius ab hoc Conciliabulo deponeretur. Missi deinde Legati ad varios conventus Moguntinum, Francofordiensem, Bituricensem, ut eos ad partes suas traherent. Interea dum Legati pro suâ factione conscriberent, sessione 36. Basileense decretum de Conceptione Immaculatæ MARIÆ Virginis ediderunt, & festivitas ejus renovata est 6. Idus Decembris, quo factò, quæ in urbe grassabatur lues, opus B. Mariæ Virginis extincta est, & hoc quidem beneficii ac gratiæ Beatissima Virgo rebellibus & seditiosis indulgit. Sessione 37. & 38. creatus est Pontifex Amadæus Sabaudus Eremita Ripalliensis, dictus Felix V. qui primâ constitutione suâ Concilium suo nomini anteposuit. Et hunc Felicem, dicit S. Antoninus, non seditiosum in Cathedra Petri, sed Luciferi, & Basileam peperisse basiliscum. Innocens tamen extitit, sicut & plerique alii fautores ejus, inter quos etiam fuit Æneas Sylvius, postea Pius II. quos deceptos esse non mirabitur, qui eos homines fuisse fatetur.

Hac auditâ Pseudo-Pontificis electione, Eugenius in Concilio Florentino 17. Cardini-



dinales creavit, magni nominis viros, tunc Ecclesiæ necessarios.

Albertus Imperator cùm debellâset, Mauros, attrivisset Hussitas, factiosos Bohemos domuisset, Sarmatas repulisset intra fines suos, Turcas denique infestantes Hungariam solo adventu exterruisset, & recedere compulisset; inde Austriam repetens contractâ dysenteriâ ex melonum esu in vico Nesmet, alii habent Meger, immaturâ morte extinguitur anno ætatis 40. cùm non toto biennio imperâset. Ab hoc tempore Majestas Imperii ingressa est Domum Austriacam, cui Virtus obduxit pessulum, ut exire non possit, numeratis jam ordine undecim Cæsaribus ex solâ Austriâ, serie non interruptâ, quasi nascerentur & non amplius eligerentur Imperatores.

✽(1440.)✽ Ditiones Alberti Imperatoris, utpote sine hærede superstite defuncti variè subdividuntur, nam in Imperatorem Romanorum electus est Francofordiæ ab Electoribus Fridericus IV. Austriacus, filius Ernesti Archi-Ducis & Patruelis Alberti. In Regem Hungariæ evocatus est Vladislaus Poloniæ Rex. Interim verò Elisabetha Regina vidua peperit præter spem & expectationem suam filium La-



dislaum posthumum, ac cum eodem & coronâ fugit ad Fridericum Imperatorem in Austriam, tanquam ad tutorem & confanguineum recens nati Ladislai; unde magna turbæ in Hungaria fuere exortæ. Bohemidemum eligunt in Regem Albertum Bavarix Ducem, ac dein illud Friderico Imperatori offerunt, sed hi acceptare illud magnanimitè recusant, dicentes: regnum illud deberi Ladislao posthumo.

Principes Christiani inter Eugenium & Felicem Antipapam dividuntur, aliis huius, aliis illi adhærentibus, prout eorum res, & non religio exigebat.

In Franciâ habito Biturgibus conventu, cui utriusque partis Legati interfuere, Rex omnibus auditis adhæsit Eugenio. Felici jam Basileæ coronato Pontifici, Episcopi interim Cardinalium vices suppleantibus, plurimum obfuit sua parcitas, qui, si collectos thesauros tunc effundere voluisset, multos sibi conciliasset, sed passus est Deus virum alioquin liberalem, in hoc casu sortidum esse, ut sic Ecclesiæ rebus confuaretur.

Bellum Francos inter & Gallos recrudescit.

Constantinopoli Gregorius Melissenus creatur Patriarcha.

Ibidem



Ibidem Marcus Ephesius, & Scholarius  
discipulus ejus ex Concilio Florentino re-  
duces omnia turbant in Græcia, edito li-  
bro contra Florentinam Synodum, quem  
egregiè refutavit Josephus Methonensis,  
qui memorat hunc Marcum Comitiali  
morbo laborasse, & nonnunquam infania  
prorsus ridiculum se tum in Synodo, tum  
extra Synodum exhibuisse, ac sæpe etiam  
cum pedum strepitu explosum ab Antisti-  
tibus & exsibilatum esse.

DECAS V.

*Ab anno 1440. ad annum 1450.*

1441. Jacobitæ Orientales hoc anno ad  
Concilium Florentinum admissi Ec-  
clesiæ reconciliantur.

Instituitur Basileæ à Pseudo-Synodo fe-  
stus dies visitationis B. Mariæ Virginis pro  
concordia, quam ipsi illi institutores ma-  
ximè tunc destruxerant, Pontifice suo tan-  
quam stipite adornato ad pravos animi  
motus abusi. Ut autem devincirent sibi  
hunc Pontificem suum, hoc anno dederunt  
illi unam Ecclesiam in Sabaudia, unum mo-  
nasterium, & unum beneficium, dum ipsi  
& pluribus & melioribus inhiarent.



Celebratur conventus in variis locis  
causa schismatis.

✱(1442.)✱ Legati Æthiopiæ, sive  
Regis Zara Jacob, hoc est, *Semen Jacobi*,  
quem vulgò Presbyterum Joannem, vel Pro-  
fite Joannem appellant veniunt ad Con-  
cilium Florentinum, & hujus continuatio  
transfertur Romam ad Basilicam Latera-  
nensem, ad quod etiam Basileenses Patres  
invitantur, sed venire recusant.

Fridericus Imperator Aquisgrani Rex  
Romanorum coronatus, convenit Basilea  
cum Felice, & agit pro concilianda con-  
cordia; neque tamen illum ut Pontificem  
legitimum honorat: præmissâ excusatio-  
ne ut sic ad concordiam instituendam apti-  
or ipse Felix redderetur. Petitur per  
Sfortiam nomine conventus Francofor-  
diensis, cui Imperator intererat ab Euge-  
nio, Concilium novum in Germania, di-  
versum à Florentino & Basileensi, recusat  
Eugenius, eò quòd jam celebretur legit-  
imum, itaque novo opus non esse, promit-  
tit tamen se cum Patribus hac de re con-  
sultaturum, inde Sfortia animos erigit Ba-  
sileensibus.

Alphonfus Arragonius Neapolim occu-  
pat per cuniculum aquæductus, quæ trans-  
fuga ex urbe cæmentarius patefecerat:  
milite



milite immisso, Rhenus Andegavensis  
 confensâ nave Genuensi quæ stabat in an-  
 choris, fugit Pisas primò, atque inde Flo-  
 rentiam & in Galliam. Alphonsus autem  
 de Pontificiis, Francis & Neapolitanis  
 magnificè triumphat.

Amurathes post septimestrem Belgradi  
 seu Albæ-Græcæ obsidionem à Joanne  
 Hunniade Waiwoda Transylvaniæ, quem  
 Turci Janeum, alii Corvinum vocabant  
 triplici magnâ clade suorum repellitur.

✽(1443.)✽ Alphonsus occupatâ jam  
 Neapoli non tam pro Ecclesia, quam reg-  
 no suo in Monarchiam erigendo sollicitus  
 Eugenium verum Pontificem agnoscit, ob-  
 tentis priùs à Pontifice quæ concedenda  
 non erant. Mandavit posthæc Alphon-  
 sus omnibus suis, qui intererant concilia-  
 bulo Basileensi, ut inde recederent, & post-  
 hac Eugenio adhærerent: quo nuncio  
 perculsi Basileenses Synodum dissolverunt  
 Felice vel Genevam vel Lausanam se reci-  
 piente, factâ sibi priùs potestate Cardinales  
 creandi, quos tamen non nisi duos publi-  
 cos creavit. Et sic Basileense Concilium  
 in Principio Ecclesiæ utile, in fine perni-  
 ciosum - - - - Turpem

*Desiit in piscem mulier formosa supernè.*

Eugenius Papa Romæ, unde per decen-  
 nium



nium aberat, magnificè suscipitur & Concilium Lateranense indicit.

Hunniades sive Corvinus jussu Uladislai Regis Turcos ad Moravum fluvium castris locantes, cum decem equitum millibus, eorum 30. millia cædit, quatuor millia capti & cæteros ad centum millia in turpem fugam conjicit: actum fuisset cum Turcis in Græcia, nisi cursum victoriarum Hunniadis Christianorum impatientia tunc sufflaminasset. Pugnae ad Moravum fluvium interfuit Georgius Castriottus, qui & ipse vel sponte cessit, vel cedere coactus Hunniadi: is hac occasione usus, Secretarium Bassæ scribere compulit litteras ad præfectos Crojenses & Epirotas, ut ei urbes redderentur: quare mox Crojæ receptus est, unde ex Epiro Turcos submovit. Et hujus viri jaçturam pluris fecit Amurathes, quam omnes clades perpessus.

✽(1444.)✽ Sultanus Ægypti Rhodum obsidet, sed ab Equitibus Rhodiis fortiter & cum ignominia rejicitur.

Christiani bellum parant in Turcas, uti Europâ ejicerentur, ad quorum invitationem etiam Uladislaus Hungariæ Rex paulò antè initam pacem cum Amurathe rumpit, atque ad Varnam Myssiæ oppidum cum eo congregitur, & crudelissimo præ-



lio ab eo victus fortissimè pugnans cæditur, cujus resectum caput Palo impositum Turcorum erexit animos, & Christianorum abjecit, ut & Hunniades ipse fugisset, nisi à Dracula Waiwoda retentus fuisset. Cæsus quoque est Julianus Cardinalis Legatus, à quodam naviculario, ut ejus auro frueretur. Christiani tunc magnâ clade affecti & Amurathes ultorem se violati fæderis à Deo electum esse dixit, simulque professus est, tantam se quoque ex hac Cadmæa pugna cladem perpeßum esse, ut similem victoriam suis hostibus exoptaret.

Idem Amurathes paulò post grande periculum adiit: cum enim ex captivis Polonæ juvenes formosissimos nobiles duodecim elegisset ad nefariam libidinem, ac circumcisionem, hi de interficiendo Principe turpi cogitârunt, eumque jugulâßent, nisi perfidioso captivo mediatum facinus vindicâßent, ab eo igitur proditi, & capiendi, clausis cubiculi foribus mutuis se se vulneribus confecere, & mori fortiter at pudicè, quàm impiè & luxuriosè vivere maluere.

Celebratur Romæ ad Basilicam Lateranensem prima sessio, sed quoad continuationem Synodi Florentinæ XXXI.

Obiit hoc anno S. Bernardinus Senensis  
Fran-



Franciscanus Aquilæ Vestinis ubi ejus corpus etiamnum integrum reperitur.

✽(1445.)✽ Ladislaus Posthumus renunciatur Rex Hungariæ & Bohemiæ, cujus loco, donec adolefceret, Gubernatores constituti sunt, in Hungaria Joannes Hunniades, & in Bohemia Georgius Podbrachus. Ladislaum autem nullo modo Hungaris extradere voluit Fridericus apud quem in tutela fuit.

In Polonia electus est Casimirus Uladislai frater.

Joanni Palæologo defuncto Imperatori successit Constantinus XV. & ultimus Imperator Constantinopolitanus.

Orientalis Ecclesiæ præsertim Chaldeorum & Maronitarum reconciliantur Romanæ tanquam universali.

Missus hoc anno à Friderico Imperatore ad Eugenium Æneas Sylvius, ab eo non tantum veniam, sed & amicitiam obtinuit, factus ei à secretis. Pontifici æquè atque Cæsari fidelis & charus.

✽(1446.)✽ Industriâ Æneæ Sylvi & favore Friderici Germania reconciliata famosam illam neutralitatem deponit & Eugenium verum Pontificem ac Patrem, atque iste Germanos iterum veros Ecclesiæ filios mutuis benevolentiae amplexibus agno.



agnoscunt. Unde Basileensium reliquiæ  
adhuc vivaces ad incendium excitandum  
planè extinguntur.

Oceanus ad Dordracum effusus 17. A-  
prilis ruptis aggeribus, plusquam centum  
millia hominum, & pecudum innumerabi-  
lem numerum submersit.

Henricus VI. impulsu Margarithæ uxo-  
ris fæminæ ingeniosæ & fortis regni admi-  
nistrationem suscipit, & Hunfredus qui vi-  
ginti quinque annis regnum administravit,  
multipliciter accusatus ne tumultus exci-  
taretur in populo occultè strangulatur.

Incipit bellum inter Amurathem &  
Scanderbegum.

✽(1447.)✽ Eugenius Papa excedit è  
viviis vir sine exceptione maximus : huic  
datus est successor Thomas Sarzanensis te-  
nui genere natus, Patre medico, & matre  
gallarum & ovorum propolâ. Vir do-  
ctissimus, & omnibus animi ac corporis  
dotibus illustrissimus dictus Nicolaus V.  
qui eo mox curas convertit, ut Felicem V.  
Genevæ tunc morantem ad pacem ineun-  
dam induceret, & universalem unionem  
in Ecclesiam reduceret : qui ut Valiconam  
Bibliothecam undequaque libris exquisi-  
tis locupletavit.

Philippo Duce Mediolanensi defuncto  
fine



sine prole de successione ejus disceptantes  
 competitores potentissimi Fridericus Ca-  
 sar Alphonfus Arragoniæ Rex & Carolus  
 Dux Aurelianensis natus ex Valentina  
 Philippi sorore, & filia Joannis Galeati  
 primi Ducis Mediolanensis: Mediolanen-  
 ses autem, cum se in libertatem vindicare  
 voluissent, pressi à Venetis & Sfortia huic  
 se dedere compulsi sunt, quod fuit semen  
 multorum bellorum.

✽(1448.)✽ Hunniades triduo in cam-  
 po Rigomezo cum Amurathe pugnat, pri-  
 mó & secundò victor, tertio victus recedit,  
 relicta victoriâ, sed prorsus cruentâ Amu-  
 rathi. Cæsa sunt in hoc prælio Christiano-  
 rum octo, Turcarum 34. millia? & Hunnia-  
 des fugam capeßere coactus, & triduo im-  
 pastus, ac per avia decurrens, quarto die  
 incidit in latrones duos, qui dum de ejus  
 cruce aureâ disputant: unius arripuit gla-  
 dium, quo percussit unum, alterum fuga-  
 vit, & deductus est per rusticolam Sende-  
 roroviam, cum in aliud castrum ire cogita-  
 ret, ubi Georgii Despotæ jussu non dimif-  
 sus, nisi dato obside juniore filio Ladislao,  
 quem tamen Hunniades armis mox rece-  
 pit. Amurathes in loco certaminis suum  
 celebravit Pascha, ubi & octo millia Wa-  
 lachorum, qui deserto Hunniade se illi de-  
 derant,



derant, circumfufos trucidavit, fic magnificè ultus prodicionem, & Christianorum impietatem.

✱(1449.)✱ Felix V. adnitentibus præcipuè Friderico Imperatore, Carolo VII. Francorum Rege, aliisque Principibus magno Ecclesiæ bono Pontificatum abdicat, magnis tamen sibi reservatis honoribus, videlicet, ut esset Legatus perpetuus in Sabaudia, ei venienti Pontifex assurgeret, ille tantum osculum oris redderet, reservaret ornamenta Papalia, præter delationem Corporis Christi, annulum Piscatoris, crucem in pedibus, & umbellam, nec unquam cogi possit venire Romam: factum est hoc Lauzanæ, & cantatus ubique versus: *Fulfit lux mundo & cessit Felix Nicolao.* Recepti quoque à Nicolao Cardinales Felicis, & veris atque legitimis adnumerati: Amedæus autem secessum suum Ripalliam repetiit, gloriosior & sanctior Pontificatu deposito quam recepto.

Sfortia potitur Mediolano, & Dux Mediolanensis ibidem creatur & agnoscitur, reclamantibus Friderico Imperatore, & Carolo Franco.

Bellum Gallos inter & Anglos resuscitatur.

Albertus Brandenburgensis Marchio con-

con-



conciat bellum in Norinbergenses quibus  
Bavari favebant. Oñies confligit & fe-  
per vicit cæsis exercitibus, uno tantum  
prælio victus, nunquam detrectato singu-  
lari certamine, nunquam vulneratus, di-  
ctus ideo Achilles Teutonicus invulner-  
bilis.

✽(1450.)✽ Annus hic Jubilæus Ro-  
mæ ingenti concursu fidelium celebratur.

S. Bernardinus adnitente Joanne Capi-  
strano discipulo ejus in numerum sancto-  
rum refertur, cui solennitati interfuere  
fratres ex ordine Franciscanorum 3800.

Franci insigni victoria de Anglis repor-  
tatâ gratias solennes Deo agunt Parisiis  
institutâ ab Episcopo supplicatione cui  
duodecim puerorum millia interfuere.

Franciscus Dux Armoricæ in memori-  
am avi sui Joannis cognomento *Conquesto-*  
*ris* Equestrem Ordinem instituit *Mark*  
*Pontici* dictum vel Ordinem *Spicæ* ob tor-  
quem ex spicis intextis, ex quo mus pon-  
ticus pendeat cum Epigraphe *Amavus*  
quoniam hoc animal mavult mori, quam  
fædari.

Amurathes Croiam metropolim Epini  
obsidet, propugnante eandem for-  
tissimè Scanderbego.

\* \*  
\*

HÆ



HÆRESIS RUTHENORUM, SEU  
RUSSORUM VEL MOSCHOVI-  
TARIUM.

Populi isti Christianam quidem religionem o-  
re profitentur, ab Ecclesia tamen Romana  
dissent in variis falsisque imaginationibus cum  
Græcorum schismate conjunctis.

1. Negant S. Petrum fuisse summum Eccle-  
siae pastorem, & S. Romanæ sedis Episcopum,  
quod etiam de successoribus dicunt.

2. Negant Ecclesiam Romanam esse cetera-  
rum caput.

3. Rejiciunt scripta Latinorum Doctorum.

4. Non recipiunt Concilia Oecumenica.

5. Contemnunt excommunicationes, rident  
purgatorium, confirmationis, & extremæ  
unctionis Sacramenta.

6. Docent Eucharistiam non in pane azymo,  
sed tantum in fermentato confici & valide con-  
servari posse.

DE JOANNE BAHEIM TYMPANISTA  
ET PASTORE PECORUM.

Joannes Baheim non contentus tympanistæ  
& pastoris officio suæ farinae socios collegit  
& palam a stro insano prædicare cæpit decimas  
Clericis subtrahendas esse, nullam esse obligatio-  
nem Dominis vectigalia & tributa solvendi,  
quin & aquas & nemora esse communia.

DE



DE MATTHÆO PALMERIO  
FLORENTINO

**H**ic est Palmerius qui annales à S. Proffert  
inceptos continuavit, usque ad annum m  
di 1449. Tandem in libro suo quem de ang  
lis edidit varias hereses disseminavit, ideoque  
damnatus, & igni adjudicatus est.



## DECAS VI.

✽ Ab anno Christi 1450. ad 1460. ✽

1451. **A** Murathes Turcarum Rex obsidio  
✽ nem Croiæ turpiter solvere cog  
gitur, Scanderbego eam strenuissimè de  
fendente: at ex mærore atque apoplexia,  
immodicoque haustu vini, extremum  
claudit diem: succedit eidem Mahometes  
II. viginti & unius anni juvenis: qui ne pa  
ter solus sepeliretur, fratrem strangulavit,  
& utrumque funus regio apparatu peragi  
jussit.

✽ (1452.) ✽ Fridericus Romanorum  
Rex in Italiam pergens, Ladislaum pne  
rum, jam duodennem & Hungariæ, & Bo  
hemix Regem secum abducit, & Romæ  
corona simul ferrea & aurea cum sua con  
juge coronatur, peractisque omnibus  
ceræ-



ceremoniis Neapolim ad Alphonsum ve-  
nit, uxoris suæ avunculum, ubi quoque  
nihil splendoris omisum. Redux in Au-  
striam Fridericus cogitur Ladislaum Hun-  
garis reddere, qui illum Neostadii obside-  
bant.

Moritur Amedæus seu Felix V. Genevæ,  
Ludovico filio Sabandiæ Duce successore  
relictus, vir sine dubio magnus, qui potuit  
se demittere, & ex Papa fieri Legatus.

Ladislaus jam suæ potestatis factus,  
Hunniadem (deposito jam Gubernatoris  
titulo) Hungariæ, Bohemiæ Podebrachi-  
um, Austriæ Ulricum Comitem Ciliæ præ-  
ficit.

CONSTANTINOPOLIS CAPTA à  
MAHOMETE II.  
GRÆCI IMPERII OCCASUS ET OR-  
TUS OTTOMANNICI.

1453. **M**Ahometes Athenis solo æquatis  
ad obsidendam Constantinopo-  
lim se se accingit munitissimâ arce ad Bos-  
phorum non longè ab urbe exstructâ: quod  
opus adeo Græcos non terruit, ut cæmen-  
ta etiam & cibaria laborantibus sufficerent.  
Curavit etiam ingentis magnitudinis bom-  
bardas fabricari, quæ lapides pondo mille  
ducentorum, vel mille, vel octingentorum  
librent. Ignavi autem Græci nec quic-  
quam

T

quam



quam his omnibus commoti, vel Turci non timuerunt, vel in murorum suorum fortitudine spem constituerunt.

Ineunte vere Turci ambitu 13. millium, seu centum & quatuor stadiorum Constantinopolim præcingunt, & quæ urbs à continente firmissimis mænibus præcincta erat, navibus 70. per 70. ita stadia incredibili labore & industriâ impensis atque perductis ad portum, eam aggrediuntur, ponte insolubili fabricato, qui murum contingeret, ex quo prægrandibus machinis infirmiora partia hujus mænia disjicerent. Urbem defendebant sex tantum Græcorum millia, Venetorum ac Genuensium adversus Turcorum ducenta quinquaginta octo millia & naves trecentas viginti. Non caruit tamen hæc civitas aliquamdiu in sui oppugnatione suo Hectore; fuit is Joannes Julianus cognomento *Longus*, patriâ Genuensis, qui navium Præfectus, Græci Imperatoris & gentis ejus misertus ignaviam urbis tuendæ curam suscepit, tantâ fortitudine, ut illa tantum hoc propugnatore destituta ceciderit, sicut eo pugnante steterat.

Urbi obsessæ suppetias tulerunt tres Genuensium naves, imperatorias frumentarias



rias comitatæ, quæ Turcicam classem tam male multârunt, ut supra duodecim hostium millia interemerit, & fremente licet Mahomete, atque in mare cum suis equum incitante, subiêrint portum, nullo è suis desiderato. Tunc quoq; Hunniadis ex Hungaria cum pedestribus copiis adventuri, & classis Occidentalium affuturæ fama, uti Græcos voluptate, ita Turcas timore magno affecit, sed non diuturno.

Mahometes enim arbitratus, ab urbis huius expugnatione dependere felicitatem suam & Imperium, decretoriâ pugnâ die Martis 4. Kalendas Junias, feriâ tertiâ ante festum Corporis Christi urbem invadit, sed cum magna suorum strage. Quo in certamine leviter vulneratus Justinianus, nullo, qui loco suo præesset (idq; valdè imprudenter relicto, quasi vulnus obligaturus recessit, nec ullis precibus ab Imp. Constantino potuit revocari. Peram ergo primùm trajecit, inde, ubi ad se rediens, flagitii sui recordari cœpit, ex mærore obiit.

Tum ergo fugientibus magis, quam repugnantibus Græcis, eodem die urbs capta est: Constantinus Imperator vulneratus, abreptus à multitudine, sæpè cadens, sæpe resurgens, conculcatus tandem & obrutus interiit, cui & caput resectum à Tur-



cis ad terrorem Christianorum circum-  
tum est, quorum hoc die quadraginta mil-  
lia trucidati, sexaginta millia capti ac ve-  
diti, eorum thesauri refossi, Turcis celo-  
re, qui ex hac urbe tantum prædæ cog-  
gère, ut deinceps ditissimi ex Turcis Con-  
stantinopoleos direptioni vulgari para-  
miâ dicerentur interfuisse: quas pecunias  
si Græci impendissent in stipendia Occi-  
dentalium militum, magna ex parte & the-  
sauros, & libertatem, & Imperium retin-  
uissent. Eodem die Genuenses nequi-  
dem rogati, ultrò Peram Mahometi diripi-  
endam tradiderunt, pecuniæ, quam glo-  
riæ cupidiores mercatores.

Non destitit autem Scanderbegus missos  
in se Turcos egregiè retundere, nec victus,  
nec victor gnarus quiescere.

Sic ergo rebus à Christianis Græcis se-  
gniter in Oriente, & simul dissidentibus à  
se Christianis in Occidente, illis voluptati-  
bus, his odio & inimicitiis cruentis dissi-  
dentibus, ac hoc quoque tam fatali anno,  
Francis & Anglis Sfortiâ Duce Mediola-  
nensi, ac Venetis, Alphonso ac Florenti-  
nis, aliisque Principibus mutuis se se bel-  
lis dilacerantibus, Imperium illud poten-  
tissimum post annos 1122 à Constantino  
Magno fundatum, in Constantino XV.  
con-



concidit, & translatum est ad Ottomannos. Nec fuit hactenus Sampson Christianus re-  
pertus, qui hanc portam perfregisset, &  
dirutis vestibus evertisset.

✽(1454.)✽ Fridericus Imperator Ra-  
tisbonam conventum indicit de bello Tur-  
cis inferendo, sed Principes Christiani mu-  
tuis odiis maluerunt decertare, quam  
Christi causam tueri. In conventu tamen  
Francofortensi bellum in Turcas decerni-  
tur, adnitentibus potissimum Joanne Ca-  
pistrano Minoritâ, & Æneâ Sylvio, hoc ora-  
tione, illo pietatis famâ potentissimo.

✽(1455.)✽ Nicolaus V. Papa dum bel-  
lum Turcicum promovet, ex mærore ca-  
ptæ Constantinopoleos moritur, vir san-  
ctissimus, magnificentissimus, & eruditif-  
simus, cui substituitur Alphonsus Borgia  
Cardinalis Hispanus dictus Calistus III.

Hoc eodem anno obiit B. Laurentius  
Justinianus, ætatis anno 74. primus Vene-  
tiarum Patriarcha.

✽(1456.)✽ Mahometes centum quin-  
quaginta armatorum millibus Belgradum  
obsidet: in ejus auxilium Joannes Carvara-  
lius Cardinalis quadraginta millia Christia-  
norum adducit, quos Capistranus voce, &  
Hunniades suâ fortitudine & exemplo ac-  
cendit. Certatum primò in Danubio est,



sed tantâ utrimque cæde, ut is sanguis  
 totus ruberet; perripere tamen in urbem  
 Christiani jam in ultimas angustias red-  
 ditam. Non cessit ideo furor Mahometis  
 sed decretorio insultu urbem aggrediri  
 irrumpunt Turci in urbem sæpè victi, sæ-  
 pè victores, alternante fortunâ, donec  
 victoria certa stetit penes Christianos, &  
 Mahomete in pectore plagam accipientem  
 quæ lethalis credita fuit, tumultuose Bar-  
 bari recesserunt nocte sequenti relictis om-  
 nibus æneis machinis, & omnibus lignis  
 accensis: cæsa perhibentur illo insultu  
 pugna Barbarorum quadraginta millia, ple-  
 riq; Proceres cum Bassa Europæ; nunquam  
 potuit Mahometes recordari hujus diei,  
 quin malediceret.

De hac clade Capistranus & Hunniades  
 certiores mox reddiderunt Calistum III.  
 Pontificem, qui festum transfigurationis  
 Dominicæ ad sextum Augusti, quo die hæc  
 victoria contigit, in gratiarum actionem  
 instituit in Ecclesiâ celebrandum. Verum  
 non multò post Hunniades ex nimio labo-  
 re in febrim ardentem incidit, ex qua in-  
 victissimus heros & Rege major sanctissimè  
 obiit, Capistrano ab ejus latere nunquam  
 avulso; qui & ipse septuagenario major  
 10. Kalendis Novembris paulò post secu-  
 tus



tus est. Reliquit Hunniades duos filios, Ladislaum jam armis assuetum, & Mathiam adhuc impuberem, utrumque paternæ ditionis & fortitudinis hæredem. Sed & Capistranus post se reliquit laborum suorum comitem Jacobum Picentam in vita & post obitum miraculis clarum. Qui cum aliquando unâ cum Capistrano rejectus esset à sordido nauclero deficiente nauulo, super undam expanso pallio cum comitibus trajecit Eridanum, sordido portitore obstupescente.

Turcis Mitylenem in Insula Lesbo oppugnantibus, eâque jam ad deditionem paratâ, hiantibus muris in ruinam, virgo armata mænia ascendit, & Turcas subire ausus trucidat, cujus exemplo cives excitati: Barbarorum ingentem stragem ediderunt, & cum magno dedecore repulerunt.

Ludovicus Delphinus à patre Carolo Franciæ Rege alienatus fugit ad Philippum Burgundum, vultum patris metuens ob Agnetem pulcherrimam patris concubinam, veneno à se, ut scribitur, sublatam.

✱(1457.)✱ Ladislaus Hunniadis senior filius ob Ulricum Ciliæ Comitem, Hunniadum infensum hostem, quem is Albæ interfici jussit, capite, jussu Ladislai



Regis Budæ plectitur, anno ætatis 24. fortissimus ac fortissimus juvenis, cui commiserationis affectu vix quarto tortor caput resecare potuit. Frater ejus minor natus Mathias. Corvinus annorum tunc septendecim à Ladislao Rege Viciam adductus est, à Podebrachio custodiendus: Eodem anno Ladislaus Bohemiarum & Hungariæ Rex præstolatur sponsam filiam Caroli Regis Franciæ, sed repente non sine suspitione veneni, Pragæ extinctus est.

Turcarum copiæ in Scanderbegum immixtæ, rursus ab hoc Achille Christiano retunduntur ac dissipantur.

Ussumcasanus Persarum Rex à Calisto Pontifice excitatus Turcas invadit. Similiter Calistus Cardinalem Aquileiensem cum classe in Orientem mittit, ubi multas Turcarum naves depressit, Insulas aliquot eis ademit, Ægyptios, Cilios & Syrios terruit.

✽(1458.)✽ Dum Demetrius & Thomas Palæologi inter se decertant, Mahometes II. expugnat Corinthum, & vespertinam imponit Peloponeso.

Mathias Corvinus Joannis Hunniadis filius è carcere Pragensi ad regium solium evehitur, mirabili fortunæ ludo, quæ unum



unum fratrem propè è thalamo nuptiali rapuit ad supplicium, & alterum è carcere evehit in solium.

Eodem anno sepositis multis competitoribus Gyrziko, sive Georgius Podebrachus vir fortis, sed Hussita, ac postea per bella non multum emendatus, inter hæreticum & Catholicum medius, in Regem Bohemiæ proclamatur.

Calistus III. octuagenarius Romæ moritur, relictis pro bello Turcico centum quinquaginta millibus aureorum: cui successit Æneas Sylvius, patriâ Senensis, ex nobili, sed inope familiâ, dictus Pius II, vir consilio ac industriâ potens, magnæq; eruditionis & eloquentiæ.

\*(1459.)\* Pius II. Pontifex in Concilio Mantuano bellum contra Turcas decernit, seque ipsum pro hac expeditione Ducem offert, Sed hic totus conatus ob Principum Christianorum vecordes discordias evanuit.

Demetrius & Thomas Palæologi, dum residuam partem Peloponesi sibi invicem eripere volunt, totam perdunt, quam universam occupat Mahometes, eorundem mutuò concertantium auxilio, Thomâ in Corcyram fugiente, & Demetrio cum sua sparta Turcis se dedente. Fortunam post-



modum variam expertus est Demetrius donec Hadrianopoli tandem factus Mo-  
 chus obiit anno 1470. bene usus sua cal-  
 mitate in æternam felicitatem commutata  
 Thomas ex Corcyra Romam venit, quod  
 etiam anno 1467. filios suos Andream  
 Manuelem cum Sophiâ filiâ accersivit, ubi  
 liberaliter, jussu Pontificis, educati sunt  
 Manuel autem, familiarium svasione, Ro-  
 mâ desertâ, fugit Constantinopolim, a  
 Mahomete lautè habitus, ubi & duos ge-  
 nuit liberos, quorum unus junior obiit,  
 alter, relicta fide, factus est Saracenus. Et  
 sic Palæologorum familia exspiravit.

S. Antoninus Archi-Episcopus Floren-  
 tinus moritur, nihil relinquens divitiarum  
 præter mulum, quo vehebatur, &  
 quem pauperibus nondum dederat.

Joannes Andegavensis validâ classe in re-  
 gnum Neapolitanum invehitur, à multis  
 Proceribus & urbibus recipitur, atque ad  
 Sarnum fluvium Ferdinandum profligat,  
 facili negotio Neapolim capturus, si obse-  
 disset, priusquam à Pontifice & Sfortiâ au-  
 xilia Ferdinando venirent, quibus obten-  
 tis ille rem suam restituit.

✱(1460.)✱ Principes Orientis invitant  
 Occidentales in Turcas, quibus illi polli-  
 centur aggredi Mahometem in Asiâ, dum  
 eum



demetrii  
 us Mo  
 s sua cal  
 ommutata  
 enit, quo  
 andream  
 erfivit, ubi  
 ucati sunt  
 one, Ro  
 polim, a  
 duos ge  
 or obit,  
 enus. Et  
 avit.  
 s Floren  
 s divitia  
 batur, &  
 t.  
 asse in re  
 multis  
 atque ad  
 roffigat,  
 si obse  
 orti a au  
 s obten  
 invitant  
 i polli  
 a, dum  
 eum

um Christiani in Europa detinerent. Sed  
 furdis canebatur fabula. Quo tempore  
 Monobassia, olim Epidaurus, vulgò Malva  
 sia, Græcis recentibus Monembosia se se  
 Pontifici dedit, cum eam Thomas Palæolo  
 gus Turcis tradere vellet, & huic defen  
 dendæ impar esset Demetrius. Uno tan  
 tum aditu subiri potest, ferè inexpugnabi  
 lis, diù à Pontifice & Venetis servata, tan  
 dem etiam commune Græcis jugum subiit,  
 à Turcis occupata, nunquam occupanda,  
 si defendi voluisset.



## DE CAS VII.

Ab anno Christi 1460. ad 1470.

1461. **C**orrui hoc anno Trapezuntinum  
 Imperium, captis Sinope & Tra  
 pezunte cum Rege suo Davide Comneno,  
 qui Joanni successerat, & cæso paulò post  
 cum filiis Davide, universa familia Palæo  
 logorum in Græcia extinguitur. Thomas  
 tamen Palæologus Romam venit profu  
 gus ac inops, ut ibidem ex aliena miseri  
 cordia viveret, qui fratrem Demetrium  
 consortem Principatûs ferre noluisse.

Crescentibus seditionibus in Anglia,  
 Rex ipse Henricus prælio victus capitur à  
 T 6 Richar-



Richardo Eboracensi Duce, decretum  
est à Senatu, ut regni Eboracensis esset  
Ebor, Rege superstite, eo verò mortuo  
regnum obveniret Eboracensi familiae, sed  
Margaritha Andegavensis Regis Consortis  
magni animi foemina, collecto exercitu  
cum hostibus ipsa bis pugnat & vincit, occi-  
so Eboracensi cum filio, & aliis conspira-  
toribus supplicio affectis, sicque Rex ipse  
libertatem recuperat.

Obiit hoc anno Magduni Biturigum Ca-  
rolus VII. cognomento *Victor*, ex humore  
melancholico, quo periit, dum metu ve-  
neni à cibo abstinuit, ab omnibus desertus.  
Successit ei filius Ludovicus XI, ut multi  
numerant, aliis autem XIV. Vir ingenii  
perspicacissimi, in quo nihil defuit ad  
perfectum Principem, nisi quòd litteras  
oderit. Abrogavit ille statim Pragmati-  
cam sanctionem rogante Pio II, reclamante  
licet Academiâ Parisiensi & Parlamento,  
Basileensis Concilii fautoribus, cujus ille  
fætus erat.

✠(1462.)✠ Mahometes Turcarum Im-  
perator Walachiam invadit, & provinciâ  
illâ Bladum Waiwodam spoliât, suffecto ei  
fratre Draculâ, Bladus autem ad Mathiam  
Regem Hungariæ profugit, sed ob ejus-  
dem epistolam ad Mahometem datam & in-  
terceptam



terceptam, velut proditoriam à Mathia in  
custodiam datur, in eâque decennio inte-  
gro detinetur. Fuit autem Bladus iste  
(alii scribunt Blodus) tantæ crudelitatis, ut  
præter alia tormenta, quibus innumeros,  
etiam innoxios è medio sustulit, jufferit in-  
terdum vivos excoriari, ac sale conditos  
capris objici, ut linguæ asperitate dolor  
eorum augeretur.

Joannes Andegavensis toto ferè regno  
Neapolitano excidit.

Fridericus Imperator obsidetur Viennæ  
ab Alberto fratre, sed adjutus à Georgio  
Podebrachio Bohemiæ Rege liberatur;  
Cujus filios Victorinum & Henricum Fri-  
dericus Principes Imperii creavit.

Hoc anno agitari cœpit quæstio inter  
Dominicanos & Minoritas, utrùm sanguis  
Christi in triduo passionis unitus perseve-  
raverit? Negativam sustinebant Domi-  
nicani, & Minoritæ affirmativam: Nihil  
statuit Pius, sed utriq̃ue parti indixit silen-  
tium, & vetuit alterutram sententiam hæ-  
resis accusare, constitutione editâ Kalen-  
dis Augusti, anno 1464.

\*(1463.)\* Turcæ occupant Bosniam,  
mox tamen Mathias cum suis Hungaris Ja-  
iczam Provinciæ caput recipit, quam dum  
reoccupare tentat Mahometes, civibus,



foeminis, & pueris pugnacissimè se se defendentibus, cum ignominia recedit, plurimis suorum amissis, & tormentis in profuente merfis.

Veneti quoque Hungaris confederati excitati à Pio Pontifice, arma arripunt contra Turcam.

Henricus Castellæ, & Ludovicus Galliarum Reges in finibus regnorum conveniunt, dissidium de regno Navarræ composituri, sed fructu exiguo; aulicis enim utriusque Principis mutuis se se dictariis pungentibus, præter contemptum nihil retulerunt.

Finis hoc anno impositus est bello Neapolitano Principe Tarentino jam fati functo, qui tuba belli potissima fuerat, & ab hoc tempore Joannes Andegavensis omnibus jam amissis, nec jam triremibus suis ut Rex, sed ut pirata pugnans, in Franciam suam rediit, victoriâ & regno Ferdinando relictis.

✽(1464.)✽ Restituit tandem Fridericus Imperator Hungaris regni coronam, quam cum Ladislao posthumo acceperat, tot jam annis retentam quâ Mathias Corvinus Budæ coronatus, mox in Turcas profectus est, & Zoynichum, Rusciæ urbem obsedit, sed Panico timore percussus, & machinas, & impedimenta, & quod præcipuum



prium erat, gloriam multis victoriis partam reliquit.

Ludovicus Sfortiæ Duci Mediolanensi Saonam reddit, eumque in odium, ut creditum est, Domûs Aurelianensis, tanquam amicum agnoscit.

Conspirant Galliæ Proceres in Regem Ludovicum XI. atque inprimis Duces Britanniæ & Borbonii, ac Comes Carolesius Philippi Burgundi filius, auctore Carolo Biturigum Duce Regis fratre, ac Belli-Princepe, quod à *Bono publico* nomen accepit, omnium tessera fuit ligula serica, nec Rege, neque Magistratibus ad hanc novitatem satis invigilantibus.

Eodem anno Castella quoque fuit impata motu Procerum, qui contra Henricum Principem, attractio in partes suas Alphonso Regis fratre rebellârunt.

Pius II. Papa dum Anconæ innumerabili Christianorum armatorum multitudine, concurrente contra Turcas classem parat, diem suum obit anno ætatis 58. Vir sine dubio magnus, & ab eruditis nunquam satis laudatus, a novatoribus autem contumeliosissimè exceptus, quorum tamen convicia à peritis rerum æstimatoribus laudes judicantur. Datus est Pio II. successor Romæ Petrus Barbus Venetus, Cardinalis S. Marci



Marci, sanatus ex peste à B. Virgine Laurentiana cum pollicitatione insuper Pontificatus, nominatus is est Paulus II. De hoc Pontifice non est habenda fides Platina, quid enim mirum si multa contra eum defutiat, à quo longo carcere subactus fuit, inò & tormentis subiectus ob conspirationem, & impietatem.

Instituit Paulus II. in ornamentum Cardinalium biretum rubrum, & suæ quoque magnificentiae Papali paravit tiaram gemmeam cum tribus coronis (quod vulgo *Regnum* dicitur) viginti millibus nummorum aestimatum, & bellum contra Turcas plerumque omnibus Principibus promovit.

Stephanus Rex Bosniensis, ac jure uxorio Serviae ac Rasciae Despota, bello peritus à Mahomete Turcarum Imperatore, & obsessus Jaitzæ, blanditiis ejus ad colloquium evocatus, cute vivus exuitur, ac licet perfidè ab impio tyranno, justo tamen Dei judicio cum vita regnum, quod proprio patri fraudulenter eripuerat, amittit, & hoc modo Bosnia, Rascia, & Serviae magna pars in Turcarum potestatem pervenit, Jaitzam cum aliis aliquot oppidis Mathia Rege sibi vendicante.

✽(1465.)✽ Bellum diuturnum inter Regem Poloniae Casimirum & Equites Teutonici.



tonicos componitur, concessâ his à Rege Prussia, eâ conditione, ut iuramentum fidelitatis eidem præstare obligarentur.

Scanderbegus Crojam adversus Turcas defendit, damna recipiens à Turcis, iterum damna ingentia eisdem infligens, vir admiraculum fortis.

Mahometes, ut consilia Principum Christianorum contra se disturbaret, Ferdinandum Siciliae Regem ingentibus promissis & muneribus ad amicitiam sollicitat, quem tamen hic fortiter & laudabiliter rejicit.

Henricus Angliae Rex vel tædio exilii, vel à suis compulsus ex Scotia irrepsit in Angliam, verum agnitus Londinum perductus est, ubi jussu Regis à nemine salutatus, ante turrinam Londinensem ter circumcippum ignominiosè circumactus, eâdem inclusus, & ex folio detrusus est in carcerem.

Erupit hoc anno factio Procerum Francicorum, dicta *Factio boni publici* adversus Ludovicum XI. conjurata, & magno armorum strepitu utriusque partis per totam Franciam tumultuata. Ad montem Cetericum ab utroque exercitu, Regis, & conjuratorum Procerum ita conflictum est, ut multis utrimque cæsis, & multis captis visa fuerit ab utraque parte stetit sanguis.



sanguinea victoria. Redintegratis de  
 utriusque partis militaribus copiis, iterum  
 ad Stadiocritam stetere parati exercitus  
 ad pugnam quoque redintegrandam. Rex  
 autem pejora veritus, quam passus jam fu-  
 erat, ac suorum odium nimis manifestum  
 agnoscens, consilio maxime Francisci  
 Sfortiæ Ducis Mediolanensis amicissimi  
 sui persuasus, agitavit ea, quæ pacis erant.  
 Itaque his conditionibus pax inita est ad  
 Confluentiam, ideò dicta pax Confluentina:  
 ut Carolo Regis fratri Biturigum loco con-  
 cessa fuerit Nortmannia, Carolinæ qua-  
 tuor urbes ad Sommanam, Comiti S. Pau-  
 li dignitas Comitis stabuli, alia aliis. Se-  
 lecti quoque 36 viri ex Clero, qui cum Re-  
 ge de regno stabiliendo statuerent. Sicque  
 omnes ad sua rediere. Carolesius autem  
 cum se brevi post difficili bello cum Leodi-  
 ensibus implicuisset, hac occasione usus,  
 Ludovicum Carolum expulit Nortmanniam,  
 & ad Franciscum Sfortiam inimicum suum  
 ire compulit.

Tumultibus quoque intestinis commo-  
 ti sunt hoc anno Castellani contra Henri-  
 cum Regem, ejusque fratrem Alphonsum  
 substituerunt.

Simili turbine agitata Arragonia à Cata-  
 launis, qui Petrum Lusitanum, Equitum  
 Magi-



Magistrum Barcinone Regem Arragoniæ creaverunt. Sed hic anno sequenti victus & extinctus veneno locum suum reliquit Renato Andegavensi, qui à Catalaunis iudicatus est idoneus, ut cum his esset capitalis hostis Arragoniorum.

✽ (1466.) ✽ Paulus II. Georgium Podbrachium Bohemiæ Regem anathemate ferit tanquam fautorem Hussitarum, tyrannum in Catholicos, & Ecclesiæ ac Pontifici rebellem. Bohemiam autem Mathiæ Regi Hungariæ donat. Tum etiam Rockyana subitâ paralyfi percussus loqui desit, hâc corporis parte potissimum mutilatus à Deo, quâ gravius deliquerat.

Sol Romæ visus tergeminus multos terret.

Obiit Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis vir bello & pace clarus, post quem, Galeatus filius qui hæctenus apud Ludovicum XI. agebat, dissimulato habitu rediens in Italiam, Principatum auspicatus est à sacrilegiis Ecclesiasticis, & ut ostenderet, se Neronem esse, matrem Blancam rectè monentem & increpantem veneno sustulit.

✽ (1467.) ✽ Obiit hoc anno Lissi ad Drillum fluvium ex febre Georgius Castriottus Scanderbegus, ibidem sepultus: tan-

tæ



tæ apud Turcos Venerationis ut hi capta  
Lisso, ejus ossa postmodum diripuerint, &  
theçis aureis aut argenteis incluserint ad  
fortitudinem sibi conciliandam: reliquit  
filium Venetiis enutritum, qui postea nobi-  
lem familiam propagavit, in Apulia, in-  
ditione ab Alphonso ejus patri donata,  
paternâ potiùs, quam propriâ virtute il-  
lustris.

✽(1468.)✽ Mathias Hungariæ Rex  
Podebrachium invadit, & eidem aliquot  
urbes in Moravia eripit. Cum verò Wal-  
lachico & Moldavico bello alibi implica-  
tus esset, reliqtâ Bohemiâ suis rebus magis  
consulebat. Et sic tutus mansit Georgius,  
ac Pontifex ab Hussitis irrisus. Bohemi  
autem Catholici petierunt sibi in Regem  
filiam Casimiri Regis Poloniæ, sed renuit  
ille, suis quoque rebus invigilans præ-  
al-  
enis.

Fridericus Imperator voti reus cum  
exiguo comitatu Romam peregrinatur,  
exceptusque à Pontifice cum eodem de  
bello Turcis inferendo consultat.

Moritur Cardinalis Turrecremata Do-  
minicanus Octuagenario major insignis sui  
temporis scriptor.

✽(1469.)✽ Mathias Rex Hunga-  
riæ maximâ Bohemiæ parte occupatâ co-  
rona-



ronatur ejusdem Rex, Georgio fugiente Pragam, cujus filium captivum Rex in Hungariam ducit.

Cardinalis Balves Molitoris seu Sartoris Virdunensis filius multas in Francia discordias seminat. Erat is primò in famulatu Javenalis Ursini, deinde Joannes de Bella-Valle Episcopi, & tandem innotuit Regi propter callidissimos mores, eique de elemosynis primò, postmodum Cardinalis & Episcopus Ebroicensis creatus est, omnibus negotiis implicitus, & purpuratus ardellio: quare cum aliquando milites recognosceret, rogavit Regem Comes Dammartinus vir scientissimus belli, ut Ebroicensem ipse lustraret Episcopatum, ut ejus ageret vices qui suas usurpasset. Cardinalis hic Proditionis auctor (quâ conatus est Carolum Ducem à fratre Ludovico Rege disjungere, & Burgundum ad invadendum regnum invitare) nuncio quodam ad Clayam capto detectus, unà cum Guilielmo Haraucurtio Episcopo Virdunensi totâ plaudente Francia pœnas dedit: Balves in carcere XI. annos contrivit: Virdunensis, auctor cavearum ferrearum, annis 14. in earum una inclusus, Perillæo supplicio multatus est.

Paulus II. bellum gerit ad Ariminum, contra




contra Malatestam, huic auxiliante Ferdinando Siciliae Rege, viro ingrattissimo in Romanam sedem, cujus favore & operibus regnum consecutus erat.

✽(1470.)✽ Mahometes Turcarum Imperator votum quod fecerat executurus, cum ingenti classe & majori exercitu pedestri Lemnum vastat, Chalcidensis Insulae urbem primariam oppugnat diebus 30. & per ignaviam Canalii classis Venetae praefecti occupat: & hic quidem a Venetis in exilium actus, Erizzius autem urbis gubernator qui deditioem fecit, per medium corpus sectus est, crudeli ioco Machometis dicentis, capiti non lateribus promissam esse incolumitatem. Filia eius formosissima ad Sultanum adducta ad libidinem & renuens petitioni ejus acquiescere, jugulata, purum Christo Spiritum reddidit.

Germania turbatur dissidentibus inter se Friderico Imperatore, Casimiro Poloniae & Mathia Hungariae Regibus: quarum contentiones Georgio Podebrachio valde utiles fuerunt.

Henricus Anglus regno restituitur, expulso Eduardo ab eodem, qui eum in throno collocarat, Richardo Comite Varicensi.





# DECAS VIII.

Ab anno Christi 1470. ad 1480. ❀

1471. **G**eorgius Podebrachus hydrope  
moritur, secutus suum Rockyfa-  
nam, qui quintiduo antè obierat : a Bohe-  
mis eligitur in Regem Ulladislaus Casimiri  
Regis Poloniæ filius, qui mox cum magno  
exercitu adfuit, præcavens ne a Matthias  
Rege Hungariæ suo æmulo interciperetur.  
Sed & Hungari quidam in Regem Matthe-  
am conspirant, petito in Regem Casimiro  
altero Casimiri filio, qui pariter cum in-  
genti exercitu adfuit, sed a Matthias con-  
spiratione detectâ præventus, & in Polo-  
niam recedere coactus est.

Eduardus paulò antè Angliâ expulsus  
cum auxiliis Caroli Burgundi, redit in pa-  
triam adjuncto sibi fratre, Duce Clarentiæ  
qui Londinum ingressus cepit Henricum  
& hujus uxorem Margaritham, quæ Henri-  
co in auxilium venerat, cum Eduardo fi-  
lio & Duce Sommerfetsensi & Margaritha  
quidem pretio redempta mærore conta-  
buit in Gallia. Eduardus autem filius &  
Sommerfetsensis in pugna interempti sunt.  
Henricus in turri Londinensi gladio cæsus,  
vir



vir religiosissimus & post obitum miraculo  
clarus, infelix in terris ut regnaret in cœlis

Alphonfus Rex Lusitaniæ paratis 30.  
navibus & 30. armatorum millibus Azil-  
lam & Tingin in Africa occupat, & munit  
propugnacula simul & monimenta suæ vi-  
ctoriæ.

Paulus II. anno ætatis suæ 53. fedis sep-  
timo apoplexiâ correptus obiit, non au-  
tem (ut heterodoxi turpiter confinxere)  
in actu Venereo à dæmone strangulatus,  
Pontifex fuit inter bonum & malum medi-  
us. Successorem habuit Franciscum Ru-  
vateum Minoritam & Ordinis sui Mini-  
strum Generalem, factum Cardinalem ad-  
nitente Bessarione, cui propter virtutem &  
scientiam acceptissimus erat, nominari vo-  
luit Sixtus IV. hic statim duos nepotes su-  
os Cardinales creavit, Julianum, qui postea  
Julius II. Pontifex fuit, fratris sui filium,  
& Petrum Riarium filium sororis suæ, ul-  
tra fas omne profusum, qui anno trigesimo  
secundo ætatis suæ jam voluptatibus con-  
fectus est, ignominiâ in avunculi famam  
merito redundante.

Moriuntur hoc anne Dionysius Cartha-  
gianus, dictus extaticus ob revelationes su-  
as, & Thomas de Kempis Canonicus Re-  
gularis S. Augustini.



\*(1472.)\* Romanus Pontifex, Veneti, Rhodii equites, & Rex Neapolitanus, cum Uffumcassano Persarum Rege expeditionem in Turcas suscipiunt, sed exiguo eorum emolumento. Smyrnam nihilominus diripiunt, omnesque illius incolas abducunt majore pompa, quam utilitate. Uffumcassanus quoque ab alia parte cum 50. millibus Equitum Trapezuntem & Neocæsaream eripit. Sed etiam hi dum nimis avidè suam sectantur gloriam, non satis bonos se exhibuerunt.

Sophia Thomæ Despotæ fratris Constantini Imperatoris Constantinopolitani filia data est uxor Joanni Moschovio sive Rufforum Principi, dote regiâ à Sancta Sede numeratâ, ut hæc maritum ad veram fidem converteret, sed à marito in pravum perversa docuit, spem innixam fæminæ & præsertim Græcæ vanam esse.

Cardinalis Bessarion vir linguarum peritissimus & eloquentissimus Pontificius Legatus in Gallia moritur hoc anno, dictum est ejus pectus eruditionis Sacrarium, & domus ejus sedes Musarum. Ofor fuit Aristotelicæ Philosophiæ, tenacissimus Platonicæ.

\*(1473.)\* Quidam Christianus adolescens Antonius Siculus Callipoli detentus

U

tus



tus à Turcis cum agnovisset Mahometi classem & armamentarium malè servari, trique flammis injicere decrevit. Venit ergo Naupliam ubi Mozenicus in hibernis stabat, huic Consilium suum aperit, ac ceptaque Scaphâ cum pomis venalibus venit, ac sequenti nocte ignem armamentario injecit. Idem incendium classis perabat, sed accurrentibus multis fugere compulsus est: dumque per Hellespontum redit, demersâ naviculâ in sylvam proximam secessit, ubi detectus, & ex pomis instantibus agnitus, tyranno factus est summi facinus, atque ejus jussu per medium factus, doluit tantum, quod majus damnum non intulisset. Senatus Venetus ejus fratri censum annum, & forori dotem assignavit, ut hæredes ejus fraternæ virtutis meminissent.

Mahometes transmissis Euphrate Ussumcassanum prælio vincit, absteritis Perlic bombardarum usu, quibus Turcæ abundabant, & illi carebant. Tunc quoque Ussumcassani filius (qui victoriam præstavit) cæso Europæ Bassa Bedlierbego filio Thoma Palæologi apostatæ reportarat, & frater gem magnam Turcarum ediderat) globos trajectus interiit. Commissi sunt Turcarum trecenta viginti, & Persarum trecenta



ta quinquaginta millia, Persæ victi cum Re-  
ge suo in montes se se receperunt. Ma-  
thometes autem circumpositam regionem  
depopulatus, rediit Constantinopo-  
lem, & in singulis stativis quingentos ca-  
ptivos interimens suæ crudelitati victima-  
rum armavit.

S. Franciscus de Paula Ordinem Mini-  
orum instituit, qui à Sixto IV. Papa con-  
firmatur.

### HÆRESIS ET IMPIETAS HERMAN- NI RISSUICH HOLLANDI.

Multorum errorum convictus primò senten-  
tiam mutavit, & carceri perpetuo manci-  
patus est; cum antea inde evasisset, in priores er-  
rores relapsus. alios insuper peiores adjunxit:  
quare iterum damnatus & iudicibus secularibus  
traditus, igne consumptus est.

1. Negabat, Angelos, sive bonos, sive ma-  
los à Deo creatos esse.

2. Catholicos irridebat, quòd infernum esse  
dicerent.

3. Asserebat materiam, quâ constant elemen-  
ta, non à Deo productam esse, sed ipsi coævam  
esse. Et Moysen, qui eam creatam esse scribit,  
hominem vesanum appellavit.

4. Docebat, animam hominis unà cum cor-  
pore interire.

5. Christum stultum, amentem, variis ima-  
ginibus



ginibus delusum, seductorem vilis plebecula  
 esse, blasphemabat. Item, quicquid egisset  
 stus, id omne rectæ rationi, & humano  
 contrarium esse.

6. Fabulas esse, quæ fides nostra docet  
 Ita esse Biblia, Evangelium merum delu-  
 mentum esse. Et Deum, uti creavit mundum  
 sine incarnatione, sic etiam absque incarnatione  
 Verbi Divini salvare.

✱(1474.)✱ Ussumcassanus se egregie  
 de Turcis vindicat, aliquot Provinciis ere-  
 ptis, & Persico Imperio adjiciens Cap-  
 doces, Armenos, Georgianos, jam toto  
 Oriente, Turcisque metuendus, neque in-  
 digus auxiliis Christianorum, utpote,  
 numerabat hoc anno decies centies arma-  
 torum millia.

Mocenico Duce Venetorum facto, An-  
 tonius Lauredanus classi præfectus Naup-  
 ctum à Turcis obsessum servat, & Coc-  
 num Lemni Insulæ oppidum, ubi Marulla  
 puella patris ad portam cæsi filia arrepto  
 ense & clipeo, popularibus suis animos re-  
 stituit, & Turcas ad naves usque fugavit,  
 magnâque eorum clade, patris necem vin-  
 dicavit.

Simeoni Constantinopolitano Patriar-  
 chæ successor à Mahomete datur Raphael,  
 qui plus pecuniæ pollicitus erat, homo  
 litera



literatus, & adeo deditus ebrietati, ut  
 præ crapulis quotidianis nequidem festis  
 paschalibus stare, & divina peragere potu-  
 erit, cum autem vertente anno promissam  
 pecuniam dare non posset, catenâ ferreâ  
 ligatus à Turco satellite circumductus est  
 per domos ad stipendia colligenda, ut  
 promissa solveret.

Bohemi refractarii Uladislao Regi suo  
 insultant, tanquam precario regnanti Regi,  
 Hussitæ quoq; scommatis insolenter pro-  
 ceedunt: Mathias autem cum Casimiro  
 Poloniae Rege, patre Uladielai pacem  
 componit.

\*(1475.)\* Stephanus Vaivoda seu Pa-  
 latinus Moldaviæ & Walachiæ cum trigin-  
 ta suorum millibus, vincit Turcorum cen-  
 tum millia, omnibus aut occisis, aut captis.  
 Ut pro tam insigni victoria gratias ageret,  
 & Cocco Deo quatrduo in pane & aqua jejunavit.  
 Hanc victoriam impedire voluit Mathias,  
 quia partem habere non poterat, tanquam  
 a subdito suo reportatæ, ideo sex millia  
 Hungarorum in Walachiam præmisit, quos  
 autem Stephanus, tanquam victoriæ suæ  
 præludia debellavit.

Achmetes Bassa Epirotes Theodosiam  
 vulgò *Cassam* in Taurica Chersoneso nobi-  
 le Emporium atque utilissimum Ponti Eu-



xini per Genuensium ignaviam eripit Christianis. Fuit Achmetes humili loco natus sed Mahometi ob bellicam peritiam & fortitudinem charissimus. Cujus uxorem pulcherrimam, cum Mustapha filius Mahometis in balneo corrupisset, & de hac injuria Achmetes questus esset, Mustapham non tantum increpuit, sed etiam nervo strangulari jussit.

Ludovicus Francus, & Carolus Burgundus æquè armis se perdere, atque oculis dolis se opprimere satagunt. Carolus Hardito 50. aureorum millia pollicitus est, si veneno Ludovicum tolleret: Sed patefactis insidiis veneficus decussatim distractus est, & caput ejus infixum palo, ad majorem & diuturniorem Caroli ignominiam.

Renatus Lotharingæ Dux, & Helvetii hostes contra Carolum Burgundum, à Ludovico Francorum Rege excitati, ejus ditiones aggrediuntur. Quod idem ex alia parte præstat, Rex Ludovicus, & advenientem Eduardum Angliæ Regem in auxilium Caroli, inito cum eo colloquio apud Piquiniacum, sponsatâ quoque filiâ Eduardi Delphini, remittit ad sua, suntque indicia cum Burgundo, qui Lotharingiam invadens ferè totam occupavit, Renato ad



Ludovicum Regem confugiente. Ludovicus autem Lucemburgius Comes S. Pauli Comestabilis Franciæ, quòd contra Regem quædam molitus esset, à Carolo Burgundo, ad quem confugerat, proditus & traditus, Parisiis capite truncatus est.

Judæi Tridentini Simeonem puerum martyrio afficiunt.

\*(1476.)\* Stephanus Waiwoda Moldaviæ, in se erumpentes Tartaros prælio vincit, & usque ad Borysthenem fluvium cælendo insequitur, mox tamen cum Turcis redeuntes quingenta hominum millia in Wallachiam se infudere. Sed Casimiro cum magno exercitu adventante & à Stephano repressi, machinis omnibus amissis, victis similes recesserunt.

Moritur Jacobus Rex Cypri puer, & Veneti regnum possessione capiunt, nomine Corneliæ matris Jacobi, quæ erat Veneta. Interea autem in Foro-Julio à Turcis magna detrimenta patiuntur, qui totam regionem incendiis deformârunt, Alpibus incredibili celeritate superatis: equos enim suos simul complicatos & conjunctos per juga præcipitârunt in subjectas valles: & actum fuisset de ista regione, nisi Carolus Montonus Ductor Venetarum copiarum inhibuisset.



Constantinopoli electus est Patriarcha Manuel Monachus, dictus Maximus, eloquens & charus Mahometi, cui ostendit vim excommunicationis in quibusdam anathemate afflatis, quorum cadavera nigra instar tympani intumescabant, nec dissolvebantur in cineres, nisi ablata excommunicatione, & Ecclesiae precibus adhibitis: tunc enim reliquorum more haec corpora in cineres redigebantur, quod in muliercula & duobus Patriarchis Joannico & Arsenio confirmavit. Et scribitur à Religiosis id etiamnum contingere: sed in his magnum est periculum fraudis & imposturae, quae Graeculi supra reliquos mortales valent, & hominibus quantumvis prudentibus imponunt.

Sixtus IV. comprobat Officium B. Mariae Virginis Immaculae.

Carolus Burgundus levissima ex causa adversus Helvetos bellum suscipit, qui fortiter illi se opponunt ac tertiâ vice cædunt, duodeviginti millibus Burgundorum desideratis, quâ ultimâ clade etiam Carolus Burgundus tribus vulneribus confossus interiit, & vir impacatus sibi atque aliis quietis impatiens, frustra sibi Imperium Galliae & Italiae pollicitus, toto triduo jacuit insepultus, ægrè à suis cognito cadavere.

audi.



auditâ Caroli morte Ludovicus XI. ditio-  
nes ejus invasit.

Galeatius Dux Mediolanensis festo S.  
Stephani in æde sua à conjuratis interfici-  
tur propter atrociam scelera & libidines.  
Primarius percussorum dux Hieronymus  
Olgiatus etiam sub manu carnificis versus  
recitavit, quibus sibi famæ immortalita-  
tem ob præclarè gestum facinus gratulatus  
est. Patri successit in Ducatu Galeatius  
filius, puer sub tutela matris ac Procerum  
constitutus.

\*(1477.)\* Turcæ Crojam Epiri Me-  
tropolim deditione capiunt, quibus Vene-  
ti, auri quàm gloriæ cupidiores, insuper  
Scodram cum Laconia promontorio &  
Lemno Insulâ cum pensitatione octo mil-  
lium aureorum tradiderunt, ad repeten-  
dam pacem & commercia liberè per Græ-  
ciam exercenda.

Mathias Hungariæ Rex armis appetit  
Fridericum Imperatorem, & Viennam Au-  
striæ obsidet, latè omnia depopulatus. Im-  
perator autem quietis quàm belli amantior  
pecuniâ hostem abigit, & Maximiliano fi-  
lio suo nuptias celebrat Gandavi cum Ma-  
ria Burgunda, ex qua vertente anno Phi-  
lippus natus est Caroli V. pater, affinitate  
tam utili Austriæ, quàm Galliæ perniciosâ:



Sic enim omnes Provinciæ Belgicæ, ac de  
in etiam Hispaniarum ad Augustissimam  
Domum Austriacam jure hæreditario tran-  
siverunt.

✽(1478.)✽ Mortuus est hoc anno Ul-  
sumcassanus, cui successit minor filius Ju-  
cuppus, dictus *Chiorzeinal*, id est, mono-  
culus, qui eodem die, quo pater mor-  
tuus est, filium interemit, septem annis  
regnavit, & potatus veneno ab uxore im-  
pudicâ præparato interiit, cujus tamen  
partem ipsa quoque bibere coacta cum fi-  
liolo pœnas dedit. Ab hoc tempore Re-  
ges Persiæ inglorii fuerunt, usq; ad Sophi,  
sub quo res Persica reflorescere cœpit.

Georgius Clarentiæ Dux ab Eduardo  
Angliæ Rege fratre suo perduellium sup-  
plicio addictus, datâ optione pœnæ, eligit  
in dolio vini Cretici, seu Malvasiæ suffoca-  
ri, ut sic vinolentus dulciori, sed magis  
infami mortis genere occumberet.

Inquisitio fidei in regno Castellæ primò  
instituitur, ac deinde per alia quoque re-  
gna propagatur.

✽(1479.)✽ Mathias Hungariæ Rex  
Ducibus Stephano, Bathoreo & Paulo Ki-  
nisio insignem de Turcis refert victoriam,  
cæsis eorum triginta millibus.

Imperium Moscoviticum, quod Tartar-  
ris



ris jam vestigale erat, denuò erigitur per Joannem Basiliu magnum Ducem Moschoviae, qui eorum jugum fortiter excussit.

Genuenses jugum Ducum Mediolanensium exosi, Ducem sibi creant Joannem Baptistam Fulgosum cum Octovirorum consilio, quod semen erat belli Italici.

Ludovicus XI. Franciæ Rex, & Maximilianus Flandriæ Comes, filius Friderici Imperatoris inter se bellum gerunt, in quo Ludovico (quod mirum est) dolo & fraudibus instructissimo, ille prævaluit, & victoria cessit Maximiliano, pro uxoris juribus pugnanti, quamvis Cadmæa. Contigit hoc bello, ut Austriaci captum quendam nobilem Vasconem suspenderent, ad quam ignominiam compensandam Ludovicus quinquaginta nobiles captivos in conspectu Insularum & Attrebatu suspendi jussit, quorum furcas atque supplicium sexcenti cataphracti equites, sex peditum millia cohonestârunt.

Helvetii nunc primùm consensu gentis à Rege Francorum stipendia accipere incipiunt, sublato à Rege Ordine sagittariorum, quos Carolus ejus pater instituerat, quòd latrociniis & rapinis vacarent. Ludovicus tamen primus Helvetiorum civis & fœderatus renunciatus est. Fuerunt.




porrò Helvetii tunc temporis tam simplices (tametsi fortes essent) ut aurum pro ære, argentum pro stanno ac plumbo distraherent.

✱(1480.)✱ Equites Rhodii Turcas ab obsidione Rhodi Insulæ repellunt, cæsis Turcarum octo millibus, & quindecim millibus vulneratis: sed eodem tempore ad distinendum Ferdinandum, ne Rhodii suppetias ferret, à Mahomete in Italiam missus Achmet Bassa cum ingenti classe Hydruntum appulit, & hanc urbem diebus septendecim tormentis laceratam occupavit, atque in ea crudelissimè sæviit, duodecim millia Christianorum cæsi vel abducti: Archi-Episcopus senex ferrâ lignâ sectus: prægnantibus alvi apertæ, & fetus eruti: senes equorum unguis conculcati: virginibus omnibus & matronis dedecus inflictum. Tunc Principes Italiæ relicti diffidiis, & advocato Mathiæ Regis Hungariæ auxilio fœdus contra Turcas iniêrunt: Tentârunt eâdem occasione Turcæ Ædem Lauretanam expilare, sed vel illius aspectu tanto tremore sunt correpti, ut vix fugâ salvare se possent.

Cardinalis Balves ex undecim annorum carcere liberatur precibus Juliani Ruverii Cardinalis nepotis Papæ, atque ex Gallia



Ludovico in salutato in Italiam rediens, à Pontifice & Cardinalibus perhumaniter receptus est, & mortuo Ludovico Galliam auctoritate Legati invisit, ut ignominia carceris sic reliniretur.



# DE CAS IX.

✽ *Ab anno Christi 1480. ad 1490.* ✽

1481. **M**Oritur Mahometes I. Turcarum Imperator & Christiani nominis infensissimus hostis. Extinctus est in praeto quodam doloribus colicis, ut computant quidam anno ætatis 53. postquam duo Christiana Imperia Constantinopolitanum & Trapezuntinum, ac duodecim regna subvertisset, & plusquam ducentas magnas urbes Imperio suo subjecisset, ideoque à suis nomen Magni obtinuit. Succedit ei filius natu-major Bajazethes. Auditâ autem morte Mahometis, & apparatu bellico Christianorum, Turci, qui erant Hydrunti, accepto commeatu bellico, in Græciam suam recesserunt: sed & Itali, metu liberi, ad consueta sua dissidia rediêrunt.

Mathias arma, quæ gloriosius convertisset



tiffet in Turcam, expedit in Fridericum  
urbes aliquot capit, & Viennam obsidet.

Mortuus hoc anno Rhenus Andium &  
Provinciae Comes, Rex Siciliae, Neapolis,  
& Arragoniae nuncupatus in Ludovicum  
Francorum Regem jus regni Siculi trans-  
fert: & in fratrem Carolum Comitem  
Cenomanorum jura omnia Provinciae ab  
hujus deinde obitu, qui paulò post secutus  
est, Francis Provincia accessit.

Sævit Pests atrox in Francia, quæ affla-  
ti ex tectis se præcipitabant, aut in fluvium  
aut puteum ruebant ululantes. Neque hæc  
lues distinxit inter pannum & purpuram,  
sed nobiles & plebejos nullo discrimine  
extinxit.

✽(1482.)✽ In Hispania oritur bellum  
Granatense contra Mauros, quod integro  
decennio duravit, ad quod Pontifex, ro-  
gante Ferdinando, Bullam Cruciatæ & in-  
dulgencias expedit magno commo-  
tum Christianorum, tum fisci Regii.

Bajazethes Aubuffonio Magistro  
Equitum Hierosolymitanorum dono mittit  
manum dexteram S. Joannis Baptistæ, quæ  
Rhodi recepta fuit cum ingenti lætitia, &  
nunc visitur in sacello aulico Serenissimi  
Ducis & Electoris Bavarie Monachii.

✽(1483.)✽ Ludovicus XI. Rex Fran-  
ciae



cia gravi & diuturno morbo implicitus, nullum Sanctorum non invocat pro valetudine recuperanda: quem in finem S. Franciscum de Paula evocavit, sed is plus salutem animæ, quam corporis curandam dixit.

Jacobo Corterio suo Medico singulis mensibus decem aureorum millia numerari curabat, huic parebat ut pugio pædago-go, & increpitus probrisque vexatus, hinc scire non audebat: ædes suas munit ferreis clathris, & tempus cum vilibus homuncionibus conterebat, quæ satis innunt, eum plus animi, quam corporis remediis indiguiffe. Morti vicinus jussit tributis exonerari subditos, quæ ille supra modum auxerat & morituri conscientiam gravabant.

Mortuus est Pleffiaci ad Turonas, natus annos 61. cum regnasset annos viginti duos, hærede successore post se relicto Carolo VIII. mortis nuncio æquiùs, quam sperabatur accepto, precibus & adhortationibus S. Francisci Paulini. Fuit Princeps ferox, & versatili ingenio, in vitâ suâ malus filius, malus pater, malus maritus, malus frater, & qui Reges Francicos sui juris fecit, unde dicitur depressâ nobilitate Reges primus emancipasse. Post ejus mortem rescissa sunt in domesticos distributa, dona,



dona cum nonnullorum supplicio, quod abusi infirmitate Regis ultra, quam par esset, res suas cum fisci damno promovissent.

Moritur eodem anno Ludovici nepos, Franciscus Phœbus Rex Navarræ annorum 15. Cui successit Catharina soror, nuptique Joanni Alebreto, fremente Ferdinando: qui hanc filio suo adhuc infantulo jam pollicitus erat: nec quievit, donec fraudibus obtinuit, quod nuptiis ac jure speraverat.

Ante utrumque mortuus est Eduardus Angliæ Rex ætatis anno 52. regni 26. relictis duobus filiis Eduardo principe Walliæ, & Richardo Duce Eboracensi, sed his prævaluit parvus Richardus Glocestriæ Dux, causatus, fratrem suum ex adulterio genitum, eisque vitam & regnum eripuit: vi & cædibus tyrannidem, sed non diuturnam consecutus.

Lusitani Proceres contra Regem Joannem II. qui defuncto Alphonso Patri successerat, conspirantes vel capitis damnantur, vel in exilium ejiciuntur.

Nascitur hoc anno 10. Novembris Iulii in Saxonia Martinus Lutherus, Patre Joanne, & matre Margaritha tenuibus parentibus, qui cum vocaretur Lotter Luther



ther dici voluit, demum Luther. *Bonum erat si nunquam esset natus homo ille.*

✽(1484.)✽ Obiit hoc anno Sixtus IV. anno ætatis 70. Pontificatûs 14. successit illi Joannes Baptista Cybo Genuensis nobilis, dictus Innocentius VIII. qui statim Principes Christianos in concordiam convocavit, Hieronymus autem Riarius Sixti nepos, cujus causâ miser avunculus supra modum laboraverat, postea in urbe Foro Livio ubi tyrannidem exercebat seditione populari necatus, è fenestra Palatii projectus in forum, ostendit quàm grave imminet elato furenti nepotismo præcipitium.

Moritur S. Casimirus secundo-genitus Casimiri Poloniæ Regis post mortem miraculis clarus.

Regnum Congi in Æthiopia per Jacobum Canum nobilem Lusitanum detegitur.

✽(1485.)✽ S. Leopoldus Pius Marchio Austriæ in Sanctorum Album adscribitur.

Mathias Rex Hungariæ bellum gerens contra Fridericum per Germaniam circumcursantem execrabili fame Viennam occupat, & Austriam bonis legibus temperat, non tamen satis religiosus in Archiepiscopum, quem carcere clausit.

Hen-



Henricus Richemontiaë Comes diu  
Francisco detentus, in Angliam invitatus  
acceptis a Carolo VIII. auxiliis, in Walli-  
am appulit, vicit Richardum & occidit,  
ductaque Eduardi filia Rex acclamatus est  
Henricus VII. per eum sublata discordia  
familias Lancastriam & Ebrocensem, & hic  
primus stipatores sui corporis adhibuit,  
quibus Angliæ Reges jam pridem indi-  
guere.

Dira lues hoc anno grassata est, dicta *Su-  
dor Anglicus* antea nunquam visa vel audita:  
iis tantum salvis remanentibus, qui calo-  
rem & sudorem ferre potuerunt.

Bajazethes Imperator Turcarum Ste-  
phanum Moldaviæ Principem aggreditur,  
sed is in clientelam Casimiri Regis Polo-  
niæ solenni se juramento mox dedit, & u-  
niversam Moldaviæ Provinciam imperio  
sub Poloniæ Imperio futuram spon-  
dit: & sic prævaluit contra Bajazethem.

✠(1486.)✠ Fridericus Imperator fi-  
lium suum Maximilianum facit creari Re-  
gem Romanorum ac Successorem Imperii,  
& Aquisgrani coronari, qui honor ex Au-  
striacis primò Maximiliano obvenit, quid-  
quid Mathias Hungariæ Rex obnixus fu-  
erit, prohibere non potuit in eodem con-  
ventu Francofordiensi, quo Romanorum  
Rex



Rex electus, statuta lex est Germaniæ, unde postea natum, *Suevicum fædus*, & *Clypeus Georgianæ Societatis*. Quod qui sequerentur clypeum gestare cogerentur meliori instituto, quam fructu.

Orto bello inter Bajazethem Turcam & Sultanum Ægypti, quod Sultanus Zemi Bajazethis fratri auxilia præstitisset, & uxorem ejus cum liberis recepisset, hoc anno Sultanus Duce Usune Usbego duos exercitus Bajazethis ingentibus cladibus in Cilicia profligat, quorum priori qui præerat Bassa Bajazethis gener interfectus, qui posteriori, captus est.

Ferdinandus Rex Hispaniæ prosperè pugnat contra Mauros Granatenses.

✽(1487.)✽ Damnatus est hoc anno liber 900. conclusionum Joannis Pici Mirandulæ & concordia Comitis ab Innocentio VIII. Hic annos natus 14. de rebus omnibus divinis & humanis disputare ausus, obtulit has conclusiones: quarum 13. inventæ sunt erroneæ, & in quibus plus ingenium, quam fidem propugnator ostendebat.

Detegitur à Bartholomæo Didaco nobili Lusitano promontorium Africæ admodum procellosum, quod Rex *Bonæ Spei* appellari jussit, quamvis crebris tempestatibus



tibus horrescat. Missi quoque sunt terrestri itinere Petrus Corvilanus & Alphonsus Paxuva, quorum ille Armuzam & Calcutum invisit, hic Æthiopiæ & Præteianis ditionem. Quorum litteris excitatus Joannes Lusitaniæ Rex, ea suscepit, quæ vix ab omnibus Europæ Principibus suscipienda videbantur.

Carlotta Regina Cypri Romæ moritur, ubi exul ex Pensione summi Pontificis vixit, cum res suas depositas videret, coram Papa & Cardinalibus renunciavit regno Cyprio in favorem Amedæi Sabaudia Ducis, fratris Ludovici olim conjugis sui. Unde Sabaudus dixit se Regem Cypri quantumcunque Veneti reclamarent.

Laurentius Mediceus, penes quem tunc erat summa reipublicæ Florentinæ, Joannem Lascarem ex Imperatoria Lascariorum familia oriundum, ad Bajazethem Turcarum Imper. mittit, ut conquestis in Græcia optimis quibusque libris Florentinam Bibliothecam ditaret. Cui post Nicolaum V. Pontificem tantum debent restitutæ linguæ & artes, quantum ulli alteri qui viros Doctos è Græcia profugos tanquam commune asylum invitavit & excepit: cum Romanorum avaritia eos fame contabescere sineret.



✱(1488.)✱ Turci Duce Hali Bassa novo exercitu in Cilicia Adanam civitatem oppugnantes, Sultanum Ægypti urbi auxilio advenientem vehementi prælio superant.

Flandrenses cum Maximiliano de tutela Philippi ejus filii decertantes, eum in custodia detinent Brugis, tradituri Carolo VIII. Regi Galliarum, nisi ille Philippum esset daturus, sed post aliquot menses liberatur a Patre suo Friderico Imperatore, & pax inter eos constituitur.

Res quoque componuntur inter Fridericum & Mathiam; unde Mathias postea bellum transtulit in Silesiam & Glocoviam occupavit.

In Gallia pugnatur inter Regium exercitum, Duce Temulio, & Ducem Aurelianensem, eiq; adhærentes Principes, initoque acerrimo prælio ad S. Albanum in Britania 19. Augusti victus Aurelianensis capitur & in custodia detinetur usque ad expeditionem Regis Neapolitanam.

Genuenses pertæsi dominationis sui Archi-Episcopi Pauli Fulgosi se Ludovico Sfortiæ Duci Mediolanensi cognomento Mauro, ob fuscum colorem sic dicto dederunt. Hic vicarium urbi præfecit Adornum, Paulus autem Romam fugit, vir ingenii



nii peracris, & qui melius nôset tractar  
arma quàm, Pedum.

Jacobus III. Rex Scotiæ à suis cæditur.  
Cui Philippus Jacobus IV. succedit.

✽(1489.)✽ Veneti potiuntur Insulâ  
Cypro, quibus Catharina Regina omne jus  
suum cedit, & ipsa cum filiis Nothis Jaco-  
bi in oppido Afulo regiè sustentatur. De-  
inceps Insulâ per vicarios administrata est  
à Venetis, semper reclamante Sabauda,  
sed melior est conditio possidentis.

Bajazethes Imperator Turcarum singu-  
lis annis 25. millia aureorum persolvit E-  
quitibus Rhodiis, ut fratrem suum zemem,  
cui Turcarum procerum pars magna fa-  
vebat, & Imperium committere tentabat,  
in certa & securo custodia tenerent, quâ  
occasione usus zemes Varios Christianos  
Principes invisit. Romæ tamen summo  
Pontifici pedes osculari renuit.

Poloni Tartaros Poloniæ & Russiæ Pro-  
vincias depopulantes magnâ clade repe-  
lunt sub Duce Joanne Alberto quem Casi-  
mirus immisit.

Bemoius quidem Jaloforum Princeps  
in Quinea expulsus à fratribus ad Lusitanos  
confugit, qui tunc commercia ibi exerce-  
bant, benignè hic susceptus est à Joanne  
Rege Lusitano, & sacris aquis ablutus, cum  
viginti



viginti navium classe in Patriam remissus  
est Duce Vasæo de Acugna : qui miserum  
hunc Principem pugione confodit magno  
damno Christianitatis

Carolus Rex Franciæ repudiâtâ, quam  
olim desponderat, & diu nondum nubilem  
apud se detinuerat, Margaritâ Maximilia-  
ni filiâ Annam Britannicæ hæredem ducit,  
quæ per procuratorem jam fuerat Maxi-  
miliano desponsata. Et hæc causa fuit  
belli triennalis quod demum sopitum est  
recepto à Maximiliano cum filia Attreba-  
tum Comitatu. Interea verò Britannicæ  
Ducatus per tale matrimonium coronæ  
Galliæ annexus est.

✽(1490.)✽ Mathias Corvinus Rex  
Hungariæ Turcarum terror appellatus a-  
poplexiâ moritur Viennæ in Austria, 5.  
Aprilis, & leones qui Budæ detinebantur  
omnes eodem die interiëre, & nulli om-  
nino corvi visi Budæ, Albæ autem innu-  
meri. Suspicio est extinctum esse veneno  
à Beatrice uxore dato. Rex fuit sine con-  
troversia maximus, litterarum amantissi-  
mus, & simul bellicosissimus. Cum ejus  
regnum prensarent Albertus de Tartaris  
victor Joannes Corvinus Mathiæ nothus,  
cui pater thesauros & arces reliquerat, &  
Uladislaus Bohemus, hic cæteris antepo-  
fitus







gitur Mauris ægerrimè urbem tam splendide à se ornatam deferentibus.

Religio per regnum Congi à Patribus Dominicanis disseminatur Rege Eñanuele cum filio suo Alphonso baptizatis, qui non ut Reges tantum, sed ut Apostoli in extirpandis vitiis, & pluribus uxoribus ejicientis collaborarunt, missis etiam in Lusitaniam nobilibus pueris Congianis, qui puram religionem ibidem imbiberent, & ad suos deferrent.

Mathiæ defuncti Regis Hungariæ vidua nubit Ladislao Regi eâ conditione, ut si liberi Ladislao non essent, regnum Hungariæ devolveretur ad Maximilianum, ejusq; descendentes.

✽(1492.)✽ Ferdinandus Hispaniæ Rex 2. Januarii ingreditur arcem Granatæ, & nunc tandem finem habuit in Hispania; Maurorum Dominatus post 780 annos ab ejus factâ primâ invasione: Remanserunt quidem adhuc multi, sed absq; Rege.

Eodem tempore Judæi omnes ex Hispania regio mandato proscripti, & abire compulsi, absq; tamen auro, argento, & gemmis, quorum commutatione alias merces secum exportare permissum est. Plerique scriptores referunt, familiarum centum & quinquaginta millia abiisse, quos

X

qui-



quidam computant ad octingenta capita millia: ut non immeritò Ferdinandus pro tot & tantis rebus præclarè gestis à Pontifice cognomento Catholici condecoratus fuerit.

Ejusdem quoque Regis auspiciis Christophorus Columbus Ligur mense Augusto navigationem incepit ad novum Orbem detegendum, quem Occidentalem Indiam vocant, qui tribus navibus acceptis solvit à Gadibus, & Canarias præterventus primò appulit ad Insulas die trigesimo navigationis, & maximam harum Insularum vocavit Hispaniolam, quia socii & nautæ reditum importunè in Hispaniam flagitabant: hîc arcem ligneam erexit, in qua duodequadraginta præfidiarios reliquit, secumque revehens indigenas decem cum multo auro, quod cultellis, speculis, crocotalis, vitroque redemerat, anno sequenti mense Martio in Hispaniam rediit, magnâ omnium admiratione & plausu.

Carolus Franciæ, & Ferdinandus Hispaniæ Rex pacem ac fœdus ineunt, eâ conditione, ut Ferdinandi Comitatus Rusciconensis & Cerdaniæ injustè detentus restitueretur. Contigit eodem tempore, ut sicarius quidam Catalanus Barcinone Ferdinandum interficere attentaret, districto



gladio aure jam vulneratâ , ad hoc facinus a somnio duntaxat impulsus, verum exquisitissimis tormentis subiectus , didicit non esse tam pretiosi capitis periculo somniantum : Somniarat enim, se Regem futurum, si Regem occidisset.

Obiit Laurentius Medices anno 44. quo meliorem , prudentiorem , & litterarum amantioem illa ætas non tulit , dicitur fuisse sui temporis phœnix ingeniorum. Illius opus fuit celeberrima Bibliotheca Florentina : successit ei , repugnante nemine, Petrus Medices filius patri simillimus , annorum 21, cui frater fuit Joannes Cardinalis, postea Leo XI. etiam Pontificatum co-honestaturus.

Moritur Innocentius VIII. anno ætatis 60. Pontificatus quinto. Reliquit ille liberos duos Franciscum & Theodorinam ante Pontificatum ex puella Neapolitana susceptos, quos ditavit magis , quam boni Pontificis conscientia postulavit. Successit ei Joannes Rodericus Borgia , dictus Alexander VI. mirâ populi gratulatione, & cui parem vix unquam Roma viderat, erant enim in eo solertia, sagacitas, & diligentia, mirabiles sub initium Pontificatus, singulari comitate conditæ , sed hæc ornamenta postea quibusdam maculis obscurata sunt.



Casimirus III. Poloniæ Rex è vivis excedit, relinquens post se filios quatuor Ladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem Joannem Albertum, Alexandrum, & Sigismundum, quintus filius erat Fridericus Cardinalis simul & Archi-Episcopus Gnesnensis, & Episcopus Cracoviensis. Sicque familiam genuit pluribus regnis administrandis parem.

✱(1493.)✱ Carolus VIII. Rex Franciæ, inito foedere cum Ferdinando Hispaniæ Rege (à quo impedimentum timebat) Neapolitanam expeditionem suscipit, ut jus suum vindicaret, quod in hoc regnum à seniore Renato acceperat. Quam expeditionem in Francia nemo sanus probavit, nisi tantum impellentibus, qui in juvene Rege suis privatis emolumentis consultum volebant.

Christiani in Croatia imprudentiâ Becardini Frangipanis magnâ clade à Turcis afficiuntur.

Fridericus Imperator, cum enato carcinomate noxio, alterum crus ei præcisum esset, contractâ insuper diarrhæâ ex nimio melonum esu moritur Lintii anno ætatis 78. Imperii 53. In quo Imperatore omnes corporis animique dotes claruerunt: Corpus ei egregium, forma Imperatore digna



na, serenus & tranquillus animus, promptam memoria, religionis ardens zelus, ut vulgò ejus causâ vivere diceretur. Romanæ Sedis observantissimus à Nicolao PP. (cum quo concordata Germaniæ iniit) appellatus *Filius charissimus & Sacri Imperii decus*. Fundator Episcopatum, unius Labaci in Carniola, duorum in Austria, Neostadii & Viennæ: erexit Ordinem S. Georgii: condidit duo cœnobia Neostadii, Cisterciensium ac Eremitarum S. Pauli, unum Græcii Ordinis S. Francisci, ibidem struxit ecclesias S. Ægidii & S. Leonardi, ædem quoque Beatissimæ Virginis in Buech & alias plures. Ofor fuit morionum & superbiorum: frugalis in cibo & potu, convitiolum negligens, cum nonnulli urgerent ad viadictam: *Minimè, inquit, an nescitis, Principes quasi scopum expositos esse ad has sagittas?* In rebus denique agendis tardior fuit & non ab similibus Romano Fabio, plura perfecit cunctatione, quam alii celeritate.

Successorem habuit Maximilianum I. jam coronatum Romanorum Regem annos natum 33. & ad Imperium non tantum ætate sed etiam virtute & rebus gestis idoneum, qui tametsi penè elinguis fuerit ad nonum usque ætatis annum, qui verba truncabat, potius quam edebat, adultior tamen factus

X ;

non



non minùs expeditè quàm ornatè loquebatur, & quidem præter vernaculam Italianam, Hispanicam, Gallicam, & Latinam linguam: ut creditum fuerit, Maximilianum vix sine miraculo fuisse vel tam diuturnum, vel postea tam disertè facundum. Statura illi regia & plena majestate, indoles excitata solers, labores impertæsa: sanitas firma, memoria tenax, ingenium sublimè & perspicax, judicium prope divinum, amor litterarum & earundem notitia præclara, usurpare solitus de institutione Principum illud Æschyli *qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.*

Redeunte Columbo in Hispaniam post detectas quasdam Insulas novi orbis, Alexander VI. Pontifex dato diplomate Ferdinando ejusque conjugii Isabellæ Hispaniæ Regibus legitimam concedit illarum Provinciarum Occidentalium possessionem, quæ essent centum leucis ultra Insulas Hesperides, ad Promontorium viride jacentes, cæteris Regi Lusitano relictis, Lineâ cogitatione descripta per utrumque cæli cardinem, quæ hunc limitem secaret. In junctum tamen Regibus, ut Præcones Evangelii in eas Provincias mittere tenerentur.

✱(1494.)✱ Mira Perturbatio in Italia,  
OCCO



occasione mortis Ferdinandi Regis Neapolitani, qui hæredem reliquit Alphonsum II. filiū, subditis suis nihilo gratiorem quam pater ejus fuit in principio regiminis sui facilis, deinde moderatus, in fine crudelis, & ideo odibilis omnibus.

Carolus VIII. Franciæ Rex Neapolitanum regnum occupaturus in Italiam cum exercitu ingreditur, & quâ benignè quâ coactè ubique recipitur, pustularum autem morbo Astæ toto mense ægrotans detinetur, à quo sanatus in Franciam redire quidem cogitavit, sed id Consilium Ludovicus Sfortia discussit. Pisas ergo & Florentiam ubi pervenit, magnificè susceptus, atque armatus (à civibus ejecto prius Petro Mediceo, quod is addictior esset Alphonso Neapolitano) ingressus est, & inde non sine tumultibus (quos Savonarola concionator insignis ex Ordine S. Domini compescuit) pecunias multas ad bellum accepit. Hinc Senas progressus, quas præsidio tenuit, inde Romam venit nemine resistente, etiam Pontifice. Et hanc quoque urbem Rex armatus subiit sub noctem, tot accensis luminibus, ut solis radiis ingredientiæ cum Rege suo non indigerent.

Obiit hoc anno Joannes Picus Mirandula & Concordiæ Comes anno ætatis 33.



Vir excellentissimi & admirabilis ingenii, unus ex Charissimis Laurentii Medicei  
 ✽(1495.)✽ Carolus Franciæ Rex Romæ Alexandrum VI. in arce Angeli obfedit, sed datis aliquot arcibus donec bellum Neapolitanum profligaretur, reconciliatur, & recipitur in æde S. Petri, ac dicitur Rex Neapolitanus, confecto diplomate, imò ut quidam volunt, Imperator Constantinopolitanus. Interim Alphonsus Rex Neapolitanus sive subditis diffidens, sive voto veteri motus regno se abdicans, illud Ferdinando filio relinquens secessit in Siciliam, vitam monasticam acturus. Carolus autem levi prælio hostibus fufis Neapolim ingreditur nullo obfistente, & Ferdinando in Ischiam secedente, & brevî pòst toto regno potitur: cum parvo exercitu unâ hyeme, adeò ut Pontifex jocaretur, videri eum venisse in Italiam, ut cum creta tantùm hospitia designaret. Franci autem in hoc regno ita vixerunt oblectationibus & ludis dediti, & tantâ incuriâ id administrabant, ut ad id dissipandum, & non ad possidendum ingressi viderentur. Turci verò hujus expeditionis famâ tantum timoris hauserunt, ut visis è Macedonia Francorum signis, aufugerint, & Bajazethes, omiffis aliis bellis, de  
 Gra-



Græcia servanda cogitârit. Sed multum sedavit hunc metum Zemis fratris sui mors pari dolore Christianorum, quam voluptate Turcarum.

Felicissimis quoque Caroli progressibus perculsi Itali, aliique Principes ejus gloriæ æmuli, Maximilianus Imperator, Ferdinandus Rex Hispaniæ, Ludovicus Sfortia Dux Mediolanensis, Veneti favente etiam Alexandro Pontifice, quia violatum Pontificem prætexebant, fœdus inveniunt, ut Caroli in Galliam reditus intercluderetur, qui junctis copiis Fornovii, sive in *Foro-Novo* non longè à Parma ad Taurum fluvium sese ei opposuerunt. Carolus autem, cum transitum negarent, per vim irrupit, nonnisi cum novem millibus suorum ita ferociter pugnavit, ut intra quadrantem horæ res confecta esset, victique Itali, majore tamen dedecore quam clade, atque sic perrupto transitu celeriter fugienti similior, quam victori, in Franciam rediit, parte exercitûs sui Neapoli relicta cum Duce Mompenserio.

In hac Neapolitana expeditione primò in Europa innotuit infaustus ille morbus, quem Itali Gallicum, & Galli Neapolitanum, Afri Hispanum vocant, certè morbus libidinosorum: augescentibus enim ho-



minum peccatis auxit Deus quoque penas peccatorum. Sunt, qui putant eum ex orbe novo allatum esse: ubi ea lues plurimum viget, sed & facile sanatur. In Europa non item, ubi luxuriosi brevis temporis belluinam voluptatem, longissimis doloribus redimunt.

Comitiis à Maximiliano Imperatore Wormatiæ habitis, instituitur Camera Imperialis ex consilio Bartholdi Archi-Episcopi Moguntini, viri sapientissimi, quæ primò ibidem Wormatiæ stetit, deinde post aliquot annos Ratisponam, ac deinde Spiram translata est.

Joannes Rex Lusitaniæ, cognomento Magnus obit ex aquâ intercute, ætatis anno 40. regni 14. Alphonso filio ejus ex equi lapsu defuncto, successit ei Emmanuel patruelis natus anno 26. animi, & corporis dotibus ornatissimus.

✽(1496.)✽ Regresso in Galliam Carolo Rege, & Alexandro VI. magis indies in Galliam exacerbato, accedente insuper Francorū socordiâ, Neapolitani inito scedere contra Carolum animati deficiunt ab eo ad Ferdinandum Alphonso filium, & mortuo Duce Monpenserio, quod reliquum fuerat Gallorum militum in patriam remittunt, deducente eos Albinio. Ferdinandar-



Alfonſus autem non multò poſt moriens, ſucceſſorem habuit Fridericum. Itaquæ Sicilia regnum quàm citò a Gallis partum, tam citò iterum perditum.

Judæi pelluntur è Luſitania mandato Regis Emmanuelis. Tum enim obtinuit à Pontifice Emmanuel, ut Ordines militares præter Hospitalarios voto caſtitiſſolventur, quo factò in illis militaris ardor penitèſtinctus eſt, bona Equitum translata in aulicos multos, nec fortes, nec caſtos dominos invenerunt.

Æquè ac Carolus infelix in Italia fuit Maximilianus, cùm enim à Venetis & Ludovico Mediolanenſi invitatus in eam irrupiſſet, ad Florentinos compescendos, tam exigua geſſit, ut tantùm ſcommatiſſ Longobardorum ſubjiciendus & irridendus veniſſe videretur.

✽(1497.)✽ Nascitur S. Franciſcus Xaverius ſummo totius novi Orbis bono.

Franciſcus Ximenius Minorita fit Archi-Epiſcopus Toletanus non minori Eccleſiæ Catholicæ emolumento.

Americus Veſputius Florentinus auſpiciis Ferdinandi Regis Catholici partem illam novi Orbis detegit, quæ verſus Septentrionem eſt, America nomen ab eo accepit: anno ſequenti rediit in Hiſpaniam.



Hoc item anno missus ab Emmanuele Rege Lusitaniæ Vasco Gama cum 170 militibus & nautis, qui superato Promontorio bonæ spei, legit Orientalem plagam Æthiopiæ, & repertis Insulis Mozambico & Melindâ, in regnum quoque Malabaricum translatus est, cujus præcipua civitas est Calecutum, ubi benignè susceptus à Zamorino hujus tractus Imperatore, vitatiffique Saracenorum dolis post biennium in Lusitaniam cum navibus suis & aliquot Malabaribus rediit, & ab Emmanuele benivolè pro meritis exceptus est, utpotè qui totius Orientis ditissimam regionem detexisset.

Joannes Albertus Poloniæ Rex magno exercitu improvise impetu Walachiam ingreditur. Sed à Stephano Waiwoda fortiter repulsus ignominiosè ad sua redire compellitur, Stephanus autem sequenti anno junctis sibi Tartarorum & Turcarum copiis Poloniam ingressus, eam vastavit, abducis plus centum millibus captivorum cum multis gregibus & armentis.

Florentiæ magnæ turbæ concitantur, quibusdam Petrum Medicæum exoptantibus, aliis autem cum Savonarola statim popularem præferentibus. Cùm ergo confutata horâ Medicæus non adesset, capti fautores



tores ejus ultimo supplicio sunt affecti; quod cum Savonarola impedire potuisset, lege agi permisit. Hinc in eum ingens commota tempestas, æmulis Religiosis ferociter ex pulpitis detonantibus, & Pontifice contra Savonarolam & Florentinos multiplici anathemate fulminante, & ad pœnas virum religiosum & pium reposcente, quem tamen amor Florentinorum extradere recusavit.

\*(1498.)\* Turcarum 70. millia Poloniam ad diripiendum ingressi, tanto mox frigore obruuntur, ut illorum quadraginta millia obriguerint, & cæteri in Moldaviam progressi à Stephano penitus deleti fuerint.

Carolus VIII. Rex Franciæ Ambasiæ apud Turones cum ad superliminare portæ caput allisset, repente apoplexia tactus concidit & exspiravit Dominicâ Palmarum annos natus 32. cum regnasset annis 14. Obiit, ut creditur, piè, morte quasi prævisâ, cum paulò antè conscientiam suam accuratè per pœnitentiam expiasset: dicitur à suis felicior, quam sapientior fuisse, corpore deformi, quod etiam parum castè traductâ adolescentiâ turpius reddiderat, & magis effectum, animo tamen magnifico & liberali, & si cultura accessisset, ad



magna idoneo. Successorem habuit Ludovicum Ducem Aurelianensem hujus nominis XII. & Patrem populi dictum, & defuncto regi cognatione proximum (filius is erat Caroli, nepos Ludovici fratris Caroli, quem Dux Burgundiæ interemerat) Hic ex jure Caroli sibi competente, Rex etiam utriusque Siciliæ dici voluit, atque etiam Dux Mediolanensis, quod à Valentina originem traheret: qui & pace cum Hispanis & Anglis constitutâ, Ducatum Mediolanensem recuperare decrevit, tanquam sibi debitum ex aviæ suæ hæreditate, unde magni tumultus exorti sunt, Italianam & Franciam concutientes.

Posthæc idem Ludovicus Rex, repudiatâ, ex sententiâ judicum à Summo Pontifice delegatorum, Joannâ Ludovici XI. filiâ, quam nolens in uxorem ducere coactus fuerat, Annam Britannam Caroli VIII. viduam connubio sibi jungit, & simul Armericam Britanniam Gallico Sceptro conjungit. Joanna autem, accepto à Rege Ducatu Bituricensi, magnâ sanctitatis famam vitam traduxit, felicior futura in cælis, quàm in terris.

Hieronymus Savonarola Patria Ferrariensis, Professione Dominicanus, Celebrissimus Florentiæ concionator, quod resumpto



pto concionandi munere contra Pontificis prohibitionem, temerè potiùs, quam liberè sæpe in eundem Pontificem Alexandrum esset investus (quamvis in materia luculenta, non tamen piè) ideo fulmine Apostolico tum is, tum Florentini feriuntur, qui cum Alexandro indigerent ad Pisas recipiendas, & aliunde à Ludovico Duce Mediolanensi ad perdendum Hieronymum instigarentur, isq; in urbe jam aliquid auctoritatis perdidisset, ex contentione utriusque Ordinis Dominicanorum & Minoritarum, à Magistratu Florentino cum duobus sociis datus in carcerem, atrociter tortus, ac demum vivus publicè in urbis foro combustus est: vir magnus & magnæ in Ecclesia utilitatis: De cuius supplicii æquitate non erit facilè iudicium suum interponere, qui constanter accusatus est à multis, & à multis fortiter defensus. Qui de Savonara aliquid statuet, pariter de viris magnis & potentibus statuere ausus erit.

✽(1499.)✽ Ludovicus XII. à Venetis sollicitatus misso in Italiam exercitu moxque ipse adveniens, Mediolano totoque Ducatu potitur: fugiente primùm Ludovico Mauro Sfortia Duce in Germaniam, deinde Turcas in auxilium evocante adversus Venetos. Bajazethes igitur hac occasione

casione



casione usus invadit Peloponesum, & Neopactum Venetis eripit.

Maximilianus Imperator bellum gerit in Helvetios, quod illi foedus cum Austria & Svevis inire nollent, & aliquoties cum iis congressus, semper infelici Marte repulsus est, donec pacem iniret.

Ismaël Sophi magni Ussumcassani ex filia nepos, filius verò Harduelis quem Rustanus Rex Persarum necaverat, hoc anno Regnum Persicum restaurat, & novam Alcorani sectam instituit Turcis infensissimam: & odium adversus Turcas posteris suis hæreditarium reliquit. Quo si benevisi essent Christiani, Mahometis religio ad minimum concidisset: Variant scriptores in nomine *Sophi*, alii desumunt illud à magis sive sapientibus Persarum, alii adstruunt *Sophi* Arabicè lanam significare, quia Reges Persarum utebantur in capite, eoque rubro; unde *Tekelles* patris Harduelis discipulus dictus fuit *Kasethas*, quod tegimine capitis rubro uteretur, quale Turca album, Tartarus viride idque ex lino, Persarum autem *Sophi* ex lana gestant.

✽(1500.)✽ Ludovicus Maurus Sfortia ex Germania cum copiis auxiliaribus revertitur in Italiam, & primò Comum, deinde Mediolanum recipit, præter arcem

à Fran.

saoflas



à Francis servatam. Similiter expugnavit Novariam, arce à Francis servatâ, sed adfuit illicò à Ludovico Rege missus Trimolius, & Ambasianus cum copiis Helvetiorum, qui cum reliquo exercitu in Italia adhuc morante Novariam, qua se Sfortia incluserat, obsidere & cum suorum aliquot effugere parantem sub Helvetica veste deprehensum in Galliam duxerunt, ubi in carcere Lospiensi decennio vitam & crimina finiit. Sed & Veneti Fratrem ejus Ascanium Cardinalem Francis tradiderunt, qui enim turri Bituricensi incluserunt: cui tamen Cardinalis Ambaciensis tandem libertatem apud Regem exoravit. Sfortiæ duo filii apud Imperatorem in Germania diu exules & inopes erraverunt: rebelles autem obtentâ veniâ graviore tributo onerati sunt.

Fuit hic annus valde periculosus Alexandro VI. camino enim in triclinium per turbinem deturbato confractum tabulatium duos ad Pontificis pedes elisit, & tertium graviter vulneravit, & Pontifex inter rudera caput & manus graviter sauciatus inventus est. Quare sanatus constitutionem Callisti III. renovavit de salutatione B. M. V. per campanana in meridie significandâ.

Judæus



Judæus quidam in Germania nomine Lemlem se Messiam esse, quem Judæi expectarent, prædicat, & magnam Judæorum multitudinem ad se pertractam, fraudibus suis illudit.

Rutheni quòd ab Alexandro Lithuaniz Duce ad Romanam Ecclesiam cogerentur, ad Moschorum Imperatorem schismatis sui protectorem deficiunt.

Alvarus Capralis jussu Emmanuelis Lusitani cum tredecim Orientalium armatis navibus expeditionem novam in Indiam suscipit. Cum quo octo Franciscani zelo animarum incensi iter longinquum susceperunt, ad Christi negotia cum Lusitanis promovenda. Solvens classis variis agitata tempestatibus ad terram proventa est quam Lusitani, erecto Christi victorioso signo *Santæ Crucis* appellaverunt, quæ postmodum Brasilia nominata est. Inde repetitâ navigatione post septem naves absorptas, cum solis sex in Indiam appulerunt: benignè suscepti infidiis fœdus cum Regibus Cochini & Cananoris pepigerunt, & utrobique onustis navibus diversis aromatis, iterumque aliquot navibus in reditu amissis anno sequenti Olyssipponem subierunt, magno gaudio & gloriâ Regis Emmanuelis.

Magnam




Magnam quoque Lætitiâ attulit hic annus Jubilæus & Biffextilis in feſto S. Mathiæ Apoſtoli die XXIV. Februarij tertiâ ſub noctem horâ Gandavi nobili Belgarum urbe natus in lucem Carolus V. Patre Philippo Hiſpaniæ, & Belgarum Principe Auſtriæ Archi-Duce Maximiliani Imperatoris filio, & matre Joannâ Ferdinandi Hiſpanorum Regis atque Iſabellæ filiâ, qui novum Sæculum auſpicatus, novum exemplum præfuit non minus optimi quàm maximi ſimul Principis, & in quo futura ſæcula habeant, quod invideant, & vix habeant quod aſſequantur. Cujus reſ geſtæ copioſiſſimâ luce ſequens Sæculum, anni futuri xenium, & partem ultimam Jubilæi Sæcularis quadripartiti illuſtrabunt.

*FINIS PARTIS TERTIÆ.*



IN.





A  
 Ac  
 Ad  
 Ad  
 Ad  
 En  
 Er  
 Eth  
 Alb  
 Alb  
 Alb  
 Alb  
 Ale  
 Ale  
 Ale  
 Alm  
 Alph  
 Alph  
 Alph  
 Ame

